# DE COLUMELLA VERGILII IMITATORE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINI

PROPOSUIT

**GUILELMUS SCHROETER**

**MEININGENSIS**



JENAE

TYPIS JULII HOSSFELD

MDCCCLXXXII

# DE COLUMELLA VERGILII IMITATORE.

§ 1. Monumenta quae reliquit Vergilius poeseos ad summum maiestatis venustatisque gradum perductae adeo non frustra invenimus posteritati fuisse prodita, ut multi Romanorum poetae etiam ex iis qui aliquantum temporis post Maronis florebant aetatem sua ipsi carmina ad praeclarissimae poetices exemplaria ab illo proposita sollicite studerent accommodare, ita etiam suis operibus poeticae Vergilii laudis splendore lumina afferri posse satis confidenter arbitrati. Quamquam autem tale studium si recte exerceatur rem esse sane scopulosam atque lubricam nemo non videt, tamen eiusmodi poetarum haudquaquam exiguus numerus exoriebatur: fere omnes enim qui post Vergilium carmina epica composuerunt Aeneidem, quippe quae una praeter Homeri opera cumulata haberet omnia veri epici carminis propria, vel maxime dignam iudicaverunt, cui sua carmina redderent similia; sed ne Bucolicis quidem et Georgicis Vergilii deerant imitatores.

Talium Vergilii aemulorum ex numero haud scio an dignior accurata consideratione nemo sit L. Junio Moderato Columella. Miror profecto huius scriptoris in operibus tantula studia a viris doctis esse collocata, ut, cum accingerem me ad opusculum quod hic propono circumspiceremque subsidia, perpaucos profecto libros invenirem, quorum argumenta ad id quod tractare constitueram quodammodo pertinerent [1]). Quae neglectio autem non

---

1) Ac primum haud mediocriter adiuvabat has quaestiones — ut taceam editiones Gesneri et Schneideri — recognitio carminis Columellae ab J. Ch. Wernsdorfio olim prolata (Poet. lat. min. vol. VI, pars I, pag. 31 seqq.): qui vir in poetarum latinorum operibus optime versatus in notis, quibus carmen Columellae illustravit, cum multarum ingeniosarum explicationum auctor exstitit, tum imitationis Vergilii, ubicunqne ei elucere videbatur in illo car-

hanc vim ad meum habuit animum, ut disquisitione de illo scriptore instituenda absonum aliquid prorsusque superfluum me facturum arbitrarer: immo operam boni fructus plenissimam mihi videbar esse consumpturus, si in opus Columellae, quo componendo imitator exstitit Vergilii, diligenter inquirerem atque collatione suscipienda rationes, quibus in imitando Vergilio usus esset, locosque omnes in eius opere, in quibus comparet haec imitatio, colligerem claraque luce conarer circumfundere, ut integre candideque de illo opere possent ferri sententiae.

Columella in duodecim libris, quos de re rustica conscripsit, prosam orationem — ut satis notum est — adhibuit excepto decimo libro quem poeticis numeris inclusit. Atque quomodo factum sit ut hunc ipsum librum, quem „de cultu hortorum" inscripsit, in aliam ac ceteros formam redigeret, copiose et abundanter explanat ipse prooemio huic libro praemisso, quo P. Sivino cuidam adhibet sermonem. De hoc Silvino non habemus fusius disserere: neque enim ulla alia re nobis est cognitus nisi insigni comitate atque reverentia, qua a Columella toto eius opere colitur. Etenim in exordio uniuscuiusque libri, saepe etiam libro procedente, Columella amicum summa observantia alloquitur: quin duas longiores praefationes, alteram, quae est totius operis quasi vestibulum, alteram iam supra a me commemoratam composuit, in quibus — possis epistolarum loco eas habere — multis de rebus ad opus suum pertinentibus cum Silvino sermocinatur amicumque consiliorum suorum socium assumit, ex quo conici licet, Silvinum operi amici haud neglegenter studia curasque impertiisse.

Docemur autem praefatione illa decimi libri, si comparandi supplendique causa etiam alios quosdam locos (IX, 16 extr., XI, 1 init., 3 init.) ex reliquis libris assumimus, his fere de rebus.

Columella primo rem quam sibi proposuerat gerendam ita efficere constituerat, ut decimum operis sui librum pariter ac ceteros prosa oratione conscriberet, cum cultum hortorum a veteribus perverse neglectum propter multas quas praecipue pauperibus afferret utilitates dignum duceret descriptione diligenti atque

mine, religiosissime semper habuit rationem. – Praeterea mihi adiumento erat index imitatorum Vergilii quem Woldemarus Ribbeck in editione Vergilii ab Ottone Ribbeck curata (vol. III, pag. 363 ff.) composuit.

copiosa: praeterea etiam Claudio Augustali, viro doctissimo, se hanc disserendi viam esse initurum promiserat. Sed cum Gallionis, fratris Senecae philosophi, tum P. Silvini preces, qui poeticum ingenium quantum qualeque esset in Columella cognoscendi desiderio trahebatur pertinacissimo, vehementiores erant quam ut Columella morem non gerere voluntati familiarissimi sui animum induceret: itaque cultum hortorum in carmen CCCCXXXVI hexametrorum contulit, tamen et promissi quo tenebatur in Claudium illum rationem habens libro undecimo operis sui, quo vilici tradit officia, caput, quo cultum hortorum herbasque hortenses prosa invenimus oratione descripta, subiunxit.

Excitabant autem Columellam ad cultum hortorum carmine celebrandum praeter preces amicorum cum fiducia quam optimo iure collocare poterat in sui ingenii viribus [1]), tum vel maxime verba quaedam a Vergilio, cui poetae summam tribuebat Columella admirationem atque verecundiam, in quarto Georgicorum

---

1) Erat enim vir non solum reconditae exquisitaeque, sed etiam multiplicis variaeque doctrinae. Neque enim — id quod cadere solet in multos viros doctos — disciplinae, quam opere suo tractandam sibi proposuerat, in intimos penetrans recessus alias quae omnino ad politiorem pertinent humanitatem litteras neglexerat: immo harum litterarum — ut apparet ex toto eius opere — multas, in iis utique etiam poetarum libros, gustasse videtur neque id labris tantum primoribus. — Praeterea in libris suis de re rustica prosa oratione conscriptis — quorum materia sicca ieiunaque ne mediocrem quidem limatae elocutionis venditationem videtur lacessere — non modo arte dilucide simpliciter convenienterque ad id quod agitur dicendi nequaquam se carere demonstrat, sed etiam exornandae illustrandaeque orationi — nonnunquam etiam poeticum quendam nitorem admiscens — operam navat enixe: cum enim disciplinam, cui sese addixerat, insigni animi inclinatione aut ut verius dicam pietate amplecteretur, non cupere non poterat ea quae tradebat quam aptissime politissimeque explanare. — Optime autem convenit huic Columellae erga disciplinam cui erat deditus pietati mirum penitusque infixum studium atque amor, quo rerum naturae colebat amoenitatem atque amplitudinem: qui affectus in opere eius sexcenties occurrunt legentibus. — Ingenium autem, cui inhaeret tam profunda rerum naturae caritas atque admiratio, simplex sincerumque esse solere quis negabit? Et has virtutes arti poeticae profecto peropportunas fuisse in Columella, ex morum integritatis studio, quod saepissime profitetur in opere suo, luculentissime apparet. Consecrare enim quasi studet disciplinae suae utilitatem eo quod optime fieri posse demonstrat, ut agris colendis mores aetatis suae ad eorum, quos Romani antiquis observabant temporibus, probitatem et sinceritatem a perdita luxuria possint revocari (conf. praecipue hac de re praef. lib. I, § 14).

libro, v. 116—148, enuntiata, quibus multo magis quam ulla alia re inflammari debebat ad opus quod erat pollicitus aggrediendum. Profitetur enim Vergilius l. l., se rei apiariae quarto Georgicorum libro expositae libenter etiam praecepta ad hortos colendos spectantia fuisse adiuncturum, nisi opus suum ad finem perducere nimis festinasset. Et verba eius haec sunt:

Atque equidem, extremo ni iam sub fine laborum,
Vela traham et terris festinem advertere proram,
Forsitan et pinguis hortos quae cura colendi
Ornaret, canerem biferique rosaria Paesti.
etc. etc.

Sed abstinere maluit insignis poeta hoc conatu:
(v. 147): Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Praetereo atque aliis post me memoranda relinquo.

Et quae memoranda reliquit praeclarissimus vates, Columella ut sibi relicta ad se vindicavit atque id egit in carmine suo, „ut poeticis numeris expleret Georgici carminis omissas partes, quas tamen et ipse Vergilius significaverat, posteris post se memorandas relinquere.“ (praef. lib. X, § 3.)

Cum autem Columella carmen suum iudicare posset quodam modo Georgicorum Vergilii supplementum, fieri non poterat, quin vim altitudinemque ingenii, quod laetissime vigere atque florere videbat in Vergilii operibus, praecipue in Georgicis, atque artem suaviter venusteque dicendi ibi elucentem penitus cognoscere, cognitas in suo quoque carmine exprimere studeret. Sic imitator Vergilii Columella exstitit: quomodo autem se gesserit hac in imitatione, nunc ut poterimus conabimur explanare. —

Ac materiae dispositionem, quam sum secuturus hoc in opusculo, ita instituo, ut primum universam Columellae imitationem ad rationes certas revocem atque demonstrem, quibus in rebus omnino imitatus sit Columella Vergilium, deinde autem totum Columellani carminis contextum proferam accurateque omnes eius locos, qui aut certissima exhibent Vergilii imitationis signa aut tamen speciem quandam prae se ferunt huius imitationis, satis dilucide denotem atque cum locis operum Vergilianorum, quibus pares similesve sunt, comparem.

## Caput I.

§ 2. Ac primum mihi duco monendum — id quod in ultima opusculi mei parte patebit latissime — Columellam praecipue quidem Georgica in carmine suo imitari, tamen etiam reliqua Vergilii carmina plus minusve hac imitatione amplecti. Imitatio Columellae autem libera honestaque est: egregie enim fallatur si quis existimet, Columellam, quod quidem facere solent serviles imitatores, priusquam ad opus suum accessisset, in scidulis versus Vergilii vel versuum eius partes enotasse atque his in opus suum largissime dispergendis hortulum suum — ut liceat mihi uti parva annominatione — ex alieno fonte inconditissime irrigasse. Immo Columella nunquam totum versum (excepto uno tantum loco[1]) ad verbum ex Vergilii carminibus depromit, rarissime etiam parva tantum mutatione[2]); raro omnino compluria verba ex Vergilianis operibus servato ordine, quem ibi obtinent, transcribit. Multis autem locis — praecipue in digressionibus, quas multas fecit in carmine suo Columella — liber solutusque est ab omni Vergilii imitatione.

Docet etiam nos totus carminis Columellae habitus, poetam *memoriter* tantum proferre, quae ex Vergilianis carminibus videtur haurire. In eadem sententia est etiam Ribbeckius, qui (Prolegg. p. 201) dicit: „(Columella) mutato ut libuit ordine accommodavit orationi frustula poetae, qualia fere in mente haerebant, non descripsit accurate bono ex codice.“ Qua ex re summo iure conicies, textus Vergiliani emendatoribus nullo pacto quidquam auxilii a textu Columellano esse exspectandum.

Denique pro singulari quadam nota imitandi rationis, quam sequebatur Columella, nobis habenda est anxia observatio, qua saepissime id egit, ut *versuum suorum exitus similes redderet versuum clausulis Vergilianorum*[3]) arbitra-

1) Claudit enim carmen suum versu Vergilii Ge. II, 176: Ascraeumque cano (hanc vocem mutare debebat in „cecinit“) Romana per oppida carmen.

2) Huius imitationis paucissima exempla sunt haec: Col. 1 — V. G. III, 440; Col. 299 — V. Ecl. V., 44; Col. 310 — V. Ecl. I, 36; Col. 328 — V. G. I, 348; Col. 350 — V. Aen. IV, 462; Col. 423 — V. G. II, 419; Col. 433 — V. G. II, 1.

3) Et horum locorum potissimos hic profero, ita instituens hanc enumerationem, ut nunc quidem versuum numeros tantum componam, verba ipsa

tus videlicet totius versus granditatem venustatemque vel maxime niti in clausulae eius elegantia et maiestate; multo rarius initia versuum suorum Vergilianorum versuum principiis reddere voluit similia [1])

§ 3. Atque postquam his observationibus ad res plane extraneas pertinentibus satis apta opinor solidaque quaestionibus

---

inter se comparanda ultimae opusculi mei parti relinquam. Col. 4 — V. G. IV, I; Col. 7 — V. G. I, 44; Col. 8 — V. G. II, 204; Col. 2 — V. G. IV, 147; Col. 14 — V. G. I, 152 et III, 384; Col. 22 — V. Ecl. V, 39; C. 35 — V. G. I, 253 (cf. etiam C. 189); C. 36 — V. G. I. 1; C. 40 V. Ecl. VI, 5 et G. III, 11; C. 47 — V. G. I, 260 et Aen. V, 870; C. 48. — V, G. IV, 483; C. 64 — V. G. IV, 489; C. 66 — V. G. III, 535: C. 68 — V. G. III, 42; C. 71 — V. G. II, 236; C. 78 — V. G. II, 330; C. 80 — V. G, IV, 307; C. 95 — V. G. II, 324 (cf. etiam C. 106 et 196): C. 97 — V. G. IV, 126; C. 100 — V. G. IV, 183; C. 101 — V. G. IV, 275; C. 104 — V. G. I, 78; C. 112 — G. IV, 30 (cf. etiam G. II, 134); C. 132, — V. Aen. VI, 273; C. 134 — V. Aen. VII, 734; C. 139 — V. Aen. VII, 762; C. 148 — V. G, I, 264; C. 153 — V. G. I, 101; C. 155 — V. G. IV, 502; C. 156 — V. Aen. I, 127: C. 190 — V. G. III, 304; C. 197 — V. G. IV, 300; C. 200 — V. Aen. VIII, 78; C. 202 — V. G. III, 125; C. 222 — V. Aen. II, 255; C. 237, — V. G. III, 117; C. 243 — V. Ecl. I, 1 (Ge IV, 566); C. 206 — V. G. III, 447 et IV, 373 (cf. C. 136); C. 252 — V. G. III, 445; C. 257 — V. G. I, 28, C. 275 — V. Aen. I, 202; C. 276 — V. Aen. VII, 35 (G. IV, 117); C. 277 — V. G. IV, 280; C. 282 — V. E. III, 57; C. 284 — V. G. IV, 19: C. 287 — V. G. II, 506: C. 289 — V. Aen. X, 273: C. 290 — V. G. IV, 98; C. 307 — V. E. II, 50; C. 310 — V. G. I, 275; C. 311 — V. E. IV, 28; C. 316 — V. E. VI, 6; C. 329 — V. A. I, 42; C. 330 — V. G. I, 118; C. 349 — V. A. V, 489; C. 353 — V. G. I, 194; C. 359 — V. A. III, 136; C. 363 — V. G. III, 275; C. 373 — V. G. I, 55; C. 375 — V. G. II, 131; C. 378 — V. G. III, 415; C. 390 — V. A. II, 471; C. 399 — V. G. I, 237; III, 66 (cf. etiam C. 65); C. 406 — V. A. IX, 773; C. 407 — V. Aen. III, 685; IX, 143 (cf. etiam C. 230); C. 409 — V. A. I, 277, 530; C. 413 — V. E. III, 56; C. 419 — V. A. VII, 5; C. 427 — V. A. VI, 25; C. 429 — V. G. II, 229; C. 431 — V. G, II, 96; C. 434 V. G. I, 176; — C. 435 — V. G. II, 175. —

1) Et huius quoque imitationis quae inveni exempla eadem ratione ac priora nunc enumero: C. 4 — V. G. III, 1; C. 9 — V. G. IV, 418, Aen. X, 366; C. 44 — V. A. VI, 301; C. 68 — V. G. II, 412; C. 79 — V. Aen. III, 586; C. 73 — V. A. III, 316; C. 76 — V. G. IV, 480; C. 93 — V. G. I. 98; C. 117 — V. G. I, 469; C. 159, V. G. I, 313; C. 166 — V. G. IV, 121; C. 189 — V. G. I, 506; C. 199 — V. Aen. XII, 393; C. 230 — V. G. II, 35. (cf. etiam C. 294); C 256 — V. Ecl. IX, 40; C 268 — V. E. III, 92; C. 278 — V. Aen. VI, 399; C. 337 — V. Aen VII, 21; C. 364 — V. G. I, 201; Aen. IV, 669; C. 386 — V. G. II, 438; C 401 — V. G. I, 55; C. 406 — V. G. IV, 318; C. 408 — V. Aen. XII, 419.

quae sequentur substravimus fundamenta, iam nostrum est, propius ad intestina, quae ex imitatione Vergilii Columella perceperit carmini suo, accedere pernoscenda.

Et hic quidem primum dispositio carminis Columellae nonnullas nobis movet quaestiones: quaerere enim licet, nonne in ea instituenda primo Georgicorum libro aliqua ex parte Columella voluerit se accommodare.

In primis enim Georgicorum versibus Vergilius Maecenatem, quo adhortante (cf. Ge. III, 41) carmen suum composuit, alloquitur qualesque res canere velit exponit. Et verba eius, etsi sunt notissima, tamen profero, quo facilius possis contentionem instituere cum carminis Columellae initio. Dicit autem Vergilius:

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vitis
Conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, apibus quanta experienta parcis
Hinc canere incipiam.

Similiter Columella primis versibus carminis sui cum appellatione Silvini quae sibi agenda sint in carmine suo describit:

Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo,
Atque ea quae quondam spatiis exclusus iniquis,
Cum caneret laetas segetes et munera Bacchi.
Et te magna Pales, nec non caelestia mella
Vergilius nobis post se memoranda reliquit.

Quamquam autem Columellam principium carminis sui Georgicorum exordio accommodare voluisse ex iis quae dixi satis opinor apparet, tamen eum in descriptione argumenti sui liberrime tantum imitatum esse exemplum Vergilii paullumque ab eo etiam aberrasse neminem fugiet. Inter hanc descriptionem enim et verba illa, quibus Vergilius Georgicorum argumentum explanat, hoc interest, quod Vergilius accurate dilucideque materiae, quam tractaturus est, singula membra indicat, Columella extremis tantum lineis, quae carmine suo contineantur, adumbrat professus se quae Vergilius memoranda reliquerit docere velle: quae autem sint singulae argumenti sui partes demum inde a versu 35 fusius declarat his verbis:

Ergo age nunc cultus et tempora quaeque serendis
Seminibus, quae cura satis, quo sidere primum

Nascantur flores, Paestique rosaria gemment,
Quo Bacchi genus, aut aliena stirpe gravata
Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos,
Pierides tenui deducite carmine Musae.

Antequam autem Columella hoc operis sui argumentum explicet, naturam faciemque loci, qui horto eligendus sit, inde a versu quinto usque ad versum tricesimum quartum copiose describit, rationem sine dubio habens verborum, quibus Vergilius, priusquam ad praecepta de agricultura tradenda accedat, agricolam adhortatur (Ge. I, 50 sq.):

Ac prius ignotum ferro quam scindimus aequor,
Ventos et varium caeli praediscere morem
Cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum
Et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset.

Atque hae tres carminis Columellae partes, quas hucusque non ex ordine, sed ut ferebat contemplationis nostrae processus, consideravimus quatenusque consentirent cum locis quibusdam Vergilianis ostendimus, ordine ita sunt collocandae: I. Appellatio Silvini et operis argumenti brevis adumbratio, v. 1—5. II. Descriptio naturae formaeque loci horto idonei v. 6—34. III. Accurata materiae explanatio, v. 35—40.

Atque postquam Columella ea quae dixi praemittens apte concinneque ad argumentum suum aditum patefecit, iam ad operis sui summam se convertit h. e. ad praecepta hortos colendi, quibus immiscet complures longiores brevioresve digressiones.

Et in materiae ipsius dispositione rursus Vergilii vestigia premit inde a versu 46—93, quibus versibus exponit, quomodo agricolis priusquam serant solum horti sit tractandum. Similiter Vergilius in primo Georgicorum libro (v. 43—99) agricolas copiose docet, quemadmodum agrum priusquam serant subigere debeant. Inde a versu 94 autem Columella in ratione materiae suae disponendae ad Vergilium ne minimum quidem habet respectum, sed suam prorsus viam ingreditur: quam describere quippe quod a proposito nostro plane sit alienum supersedeo.

§ 4. Iam vero in elocutionis, quam exhibet Columellae carmen, naturam atque indolem inquirentes quatenus nitatur hac in re Colum. beatissima Vergiliani sermonis ubertate conabimur cognoscere. Atque hanc materiam aggressuris antea monendum est nobis, rationibus, quas sequitur Columella in rebus syn-

tacticis atque lexicologicis, neque singularitates proprietatesque quasdam neque voluntariam Vergilii imitationem esse vindicandas. Ceteroquin luce clarius est, sermonis poetici laudem ac dignitatem non tam pendere ex praeceptorum grammaticorum anxia observatione — quibus in adhibendis omnes poetas maiores minoresve licentias satis constat plerumque sibi assumere —, quam ex quorundam orationis ornamentorum, quorum potissima sunt figurae, tropi, epitheta, usu ingeniosissimo.

Atque his elocutionis poeticae luminibus carmen suum distinguens Columella saepissime Vergilii premit vestigia, ita ut his in rebus imitationem plerumque ad liquidum habeamus exploratam.

Ad certas rationes nunc revocaturus similitudines, quae in usu figurarum, troporum, epithetorum inter Vergilii et Columellae elocutionem mihi videntur intercedere, observationes nunc quidem proferam ad rem universam tantum spectantes singulorum locorum accuratam considerationem ultimae opusculi mei parti reservans; ceterum nunc ea tantum exempla ex carmine petam Columellae, quae cum habeant dignitatem aliquam vel singularitatem imagini poetici huius scriptoris sermonis mihi exprimendae lineas quasdam peculiares poterunt praestare.

Ac primum consideremus ex figuris anaphoram a Columella adhibitam. Atque anaphorae potissima exempla quae, apud eum inveni, sunt haec:

v. 36—38: quae cura satis, quo sidere primum —, quo Bacchi genus. Sine dubio obversabatur animo Columellae cum haec scriberet primi Georgicorum libri initium, in quo hanc legimus anaphoram: quo sidere terram —, quae cura boum, qui cultus —, apibus quanta experientia. Similem pronominis relativi anaphoram invenimus apud Col. v. 265—68: quae colitis nemus Amphrysi, quae Thessala Tempe, quae iuga Cyllenes, — et quae Sicanii flores legistis. Praeterea vocabuli „nunc“ anaphora utitur Columella v. 166—169 et v. 239—40, quibus in locis illa vox ter, et v. 196—200, ubi quinquies repetitur (Conferre possis apud Vergilium Ecl. III, 56—57 et G. I, 266—267.) Denique anaphoram vocabulorum „hinc“ (v. 342—348, conf. V. G. IV, 55) et „iam“ (v. 369—373, c Ge. II, 416—419) Columella usurpavit.[1])

---

1) Nihil habeo quod comparem apud Vergilium duobus anaphorae exem-

Deinde ex figuris apostrophen a Columella adhibitam invenimus idque libentissime. Ut taceam appellationem Silvini (v. 1 et 433), cuius iam supra feci mentionem (pag. 7), praeterea haec fere exempla e Columellae carmine deprompta ad illustrandam huius figurae apud hunc scriptorem vim atque naturam maxime mihi videbantur idonea: Legimus v. 4: Et te, magna Pales; secundum V. G. III, 1. — v. 29 saepiusque (velut v. 58, 68, 159) Columella agricolarum vel unum vel complures, ut praeceptis suis vivum induat quendam colorem, alloquitur: similes allocutiones Vergilius quoque adhibuit saepissime. — v. 40 legimus: Pierides tenui deducite carmine Musae. Etiam Vergilius Musas saepissime alloquitur in carminibus suis (conf. Ecl. IV, 1; VIII, 63; X, 72 etc.); semper autem appellat eas vel Pierides vel Musas, nunquam autem duplici nomine Pierides Musas.

Nihil consociatum habent cum Vergiliana elocutione apostrophae in versibus Columellae 192—193; 224; 263 sqq.

Denique ex figuris etiam erotema adhibuit Columella v. 215:

Sed quid ego infreno volitare peraethera cursu sqq. sine dubio secutus Vergilium, qui dicit Aen. II, 101:

Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolvo?

§ 5. Atque haec mihi de figurarum apud Columellam usu videbantur dicenda; nunc quales tropi ab eo usurpati sint videbimus.

Atque harum observationum initium capiamus ex duabus synecdoches speciosis exemplis, in quibus imitatio Vergilii satis elucet. Legimus apud Columellam:

v. 52: Exspectetur hiems, dum Bacchi Gnosius ardor Aequore caeruleo celetur. Hic „Gnosius ardor" idem valet ac stella, quae Corona appellatur. Simili modo Columella v. 289 dicit „nec Sirius ardor Sic micat". Atque priori loco sine dubio imitatur V. G. I, 222: Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae. „Sirius ardor" autem etiam legimus V. Aen. X, 273; cf. praeterea G. IV, 425: torrens sitientes Sirius Indos Ardebat. — v. 294: iubare exorto i. e. sole orto idem legitur V. Aen. IV, 130.

---

plis quae inveni apud Columellam: v. 351—355. Profuit — Pro uit et —; v. 361: Sed resoluta sinus, resoluto maestae capillo.

Iam vero ad troporum usitatissimum genus, ad metaphoras, accedamus: ex quibus eam speciem potissimum usurpavit Columella, qua verba quae propria sunt de rebus animalibus ad inanimas transferuntur.

1. In rebus inanimis animalium mentis animique agitationes facit orientes. Huius generis haec profero exempla: v. 14: (natura soli) palmitibusque seris laetatur, Hanc translationem verbi „laetari" vel „gaudere" saepius invenies apud Columellam nec non apud Vergilium. Conf. praeterea apud Col. v. 16; v. 168; v. 257; apud Vergilium G. II, 181; Ecl. IV, 52; IX, 48. — v. 54: Solis et adversos metuant Atlantides ortus, fortasse secundum V. G. I, 246: Arctos oceani metuentes aequore tingui. Huc etiam quadrat Col. v. 249: nec metuit sentes (bryonias). Simillimus est versus Vergilii Ge. II, 333 nec metuit surgentis pampinus austros. — v. 408 (mala Persica) oblita nocendi, cf. V. G. II, 59 [1]).

2. Res inanimas animalium negotia gerentes casibusque animalium vitae propriis obnoxias inducit (atque huic metaphorae Columella vel maxime indulsit). Clara in luce eam ponere conabor his exemplis: v. 8 (ager) fossus graciles imitatur arenas h. e. ita molles ac tenerae sunt eius agri glaebae, ut si perfodiuntur arenae fiant similes. Hunc tropicum vocabuli „imitari" usum praeterea legis apud Columellam v. 172; v. 241; v. 248; apud Vergilium conf. G. IV, 72. — v. 9—10. Atque habilis natura soli, quae gramine laeto Parturit. cf. praeterea Col. 413 et apud Vergilium aptissime G. II, 330 et Ecl. III, 56.

Atque haec translatio, qua plantae super terram emergentes tamquam partu e materna alvo editae finguntur ut aliis poetis ita

1) Addo hic huius generis nonnullas translationes, in quibus adhibendis Columella non pendet ex Vergilianorum carminum imitatione:

v. 75: iraeque obnoxia Cauri i. e. quae patent Cauri flatibus. — v. 102: nimium rosa plena pudoris. — v. 154: (planta) nec mutata loco siccos exhorreat aestus — v. 197 sqq.: nunc spiritus orbis Bacchatur Veneri stimulisque cupidinis actus Ipse suas adamat partes (His verbis Columella vim germinationis, quae terrae vernanti inest, procreandi libidine, qua spiritus orbis inflammetur, effici facit. (Apud Vergilium „bacchari" semel tropice usurpatur Aen. IV, 666 bacchatur fama per urbem.) — v. 395: (cucumis labentem undam sequens) nimio tenuatur amore.

Columellae quoque mire grata atque usitata est. Unde fit, ut terram appellet matrem [1]) (v. 58, 72, 163, 194, 195; cf. apud Verg. G. II, 268), parentem (v. 164, 257; cf. V. G. II, 173, Aen. IV, 178), genitricem (v. 59, 161, 207; hoc vocabulum de terra Vergilius nusquam usurpavit). Si terra semina concepit et ab Jove i. e. pluvia fecundata est (Col. v. 204—207, cf. Ecl. VII, 60 et Ge. II, 325) gravida appellatur (v. 141; cf. V. Ge. II, 5; I, 319). Deinde enititur (v. 162) e materno alvo (146); haec vocabula Vergilius nusquam ut Columella transfert. Plantas ideo Columella appellat prolem (v. 214; privignas [2]) proles eas dicit plantas, quae in aliam terram transferuntur), partus (v. 144, 162), progeniem (v. 165), subolem (v. 146, 385). Atque vocabulum „proles" de plantis tropice usurpat etiam Vergilius (Ge. II, 3), nusquam autem vocabulis „partus, progenies, suboles" tropicam vim subicit. Si iam adoleverunt semina, tellus ‚cupiet denubere" (v. 158) i. e. — ut explicat Wernsdorfius — desistere a nubendo et pariendo; hoc loco Columella rursus immunis est imitationis Vergilii. —

V. 18 (natura soli) strenua toxica s u d a t. Obversabantur fortasse hic Columellae loci apud Vergilium Ecl. IV, 30; VIII, 54; G. II, 118. — v. 25 aut fons i l l a c r i m e t, fortasse secundum V. G. I, 480. Cf. etiam Col. v. 103: „nunc medica panacem l a c r i m a i. e. suco, certe secundum V. G. IV, 160. — v. 75: V e r b e r i b u s g e l i d i s i. e. flatibus gelidis ventorum. Ventos vehementes verberare poetae tropice dicunt eorumque impetus verbera appellant. Cf. V. Aen. IX, 669 et III, 423. — v. 82 (olitor) armenti fimo s a t u r e t ieiunia terrae, certe secundum V. G. I, 80; cf. apud Columellam v. 84 et v. 354. — v. 104: v i n c t u r a papavera somnos, cf. V. G. II, 94. — v. 122: seque l a c e s s e n t i fletum factura sinapis. Hic poeta sinapi tamquam bestiam mordacem inducit; qui comedit sinapi, id excitat ad iram atque ultionem: ulciscitur autem hoc condimentum efficiendis lacrimis. Praeterea Columella vocabulo „lacessere" tropice utitur v. 321; apud Vergilium conferas G. III, 233. — v. 156: (astrum arietis) c a p u t e f f e r e t u n d i s i. e. exorietur in coelo. Simillimus est locus apud Vergilium: Aen. VIII, 589 et 591. — v. 388:

1) Vocem „mater" tropico sensu non de terra, sed de urbe usurpatam invenis C. 139: mater Aricia porri; certe secundum V. Aen. VII, 762

2) Hoc vocabulum omnino non legitur apud Vergilium.

(cucurbita) pueros — fluviis innare docebit i. e. pueri nare discunt ventri cucurbita alligata; cf. V. G. II, 77.

3. Rebus inanimis Columella tribuit hominum animaliumve corporis partes et proprietates.

v. 7: ager — resolutaque terga — Qui gerit.

De huius vocabuli tergum apud Columellam tropico usu paulo fusius iuvat disserere. Legimus hoc vocabulum quater apud Columellam (v. 7, 71, 22, 418). — Ac primum satis perspicuum est, Columellam v. 7 (quem iam attuli) et v. 71 (tu graviter rastris cunctantia perfode terga) voce „terga“ significare velle superficiem agri vel summos eius cespites. Simillime dicit Vergilius G. I, 97 quae suscitat aequore terga, et G. II, 237: glaebas cunctantis crassaque terga. Deinde v. 21—22 apud Columellam legimus „nec cruribus aequa Terga rubi“. In sententia quam inesse voluerit Columella hoc loco vocabulo „terga“ enucleanda editores carminis Columellae alii alio pervenerunt. Equidem in interpretatione Wernsdorfii, quippe quae simplicissima sit, nobis acquiescendum existimo, qui terga „exteriores vel prominentes partes rubi“ esse explicat. Errare autem vel maxime mihi videtur vir eruditissimus conferens loco Columellae versum Vergilii Ge. II. 270—271: quo quaeque modo steterit, qua parte calores Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi. Vocabulo „terga“ enim hoc loco aliam notionem subiciendam esse nemo negabit: quam Wagnerus apte ita explanat: „Terga hoc loco significant partem arborum ab Austro aversam [1]). Similem sententiam autem atque Col. v. 22 Vergilius vocabulo nusquam subiecit. Denique legimus apud Columellam v. 418: picto quoque Lydia (scil. ficus) tergo. Hic significat tergum corticem vel corium, quo tegitur ficus; quem usum vocis „tergum“ apud Vergilium non invenies. Fortasse memor erat Columella, cum versum 418 scriberet, versus Vergiliani Ge. IV, 13.

v. 70: iam virides lacerate comas. Columella terrae vel plantis saepius comam, capillum, crines solet tribuere: quae translatio ut omnino poetis ita etiam Vergilio usitata est; hic autem tantum

---

1) Cf, etiam Th. Spitta, Quaestiones Vergilianeae, p. 21, qui dicit: G. II, 271; „qua parte calores Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi“ videtur secutus esse Vergilius morem dicendi latius patentem, ex quo id quod proprie de militibus fugientibus dicebatur, etiam ad unum hominem unamve rem transferretur.

vocabulo „coma“ tropice utitur, vocabulis „crinis“ et „capillus“ non item. Conf. praecipue Col. 98 et 297 cum Ge. IV, 122.

Praeterea hoc genere metaphorarum, de quo agimus, ita etiam utitur Columella, ut terrae viscera (v. 72), sinum (v. 157, 168, 206), cucurbitae collum (234), violis oculos (v. 259) rosae genas (v. 261), cucumeri ventrem (v. 391), moris cruorem (v. 401—2) tribuat idque plus minusve cum Vergilii imitatione. —

Translationem, quam latius prosecutus est Columella — ita ut allegoriam eam possis appellare — invenis in versibus 215 sqq.:

Sed quid ego infreno volitare per aethera cursu (cf. p. 10)
Passus equos audax sublimi tramite raptor?
(225) Me mea Calliope cura leviore vagantem
Jam revocat, parvoque iuvet decurrere gyro,
etc. etc.

Hic igitur Columella studium reconditae sublimisque materiae carmine celebrandae confert cum audaci volatu equorum Solis currum Phaethontis vehentium. Similis translatio inest verbis Vergilii, G. II, v. 541—42;

Sed nos immensum spatiis confecimus aequor
Et iam tempus equum fumantia solvere colla.

§ 6. Atque haec habui quae de troporum apud Columellam usu in universum dissererem. Inquiramus iam paucis in epithetorum, quibus utitur Columella in carmine suo, vim atque naturam.

Columella cum accurate novisset Vergilianae poeseos maiestatem venustatemque inprimis splendidissimas, non videre non poterat epitheta sermoni poetico et excitando et locupletando vel maxime inservire: itaque ut talia ornamenta etiam suo carmini suppeditaret neque exiguam neque infelicem dedit operam; unde fit ut in carmine eius permulta eaque aptissima inveniamus epitheta, quorum multa quidem ex Vergilii carminibus aut integre aut parva cum mutatione mutuatus est, haud pauca autem suum ipsius quoque arbitrium sequens adhibuit. Verum si omnia quae usurpavit Columella epitheta nunc deinceps velim enumerare etiam simplicissima atque ieiunissima religiose persequens, profecto rei plane inutili ingentem impendam laborem: itaque ex eorum largissima copia tantum epitheta tropica, quippe in quibus

adhibendis vel maxime ostendere possit poeta ingenii sui et altitudinem et subtilitatem, atque ex his rursus ea quae cum rei animali propria sint transferuntur ad inanimam — quod genus Columella praecipue usurpavit — mihi propono accuratius consideranda nec non conferenda cum exemplis Vergilianis.

v. 16: malus iniussus i. e. qui sponte sua [1]) nascitur; secundum V. Ge. I, 55 iniussa virescunt Gramina. Addas etiam „iussi rivi" Col. 48 i. e. arte deducti. — v. 24: horti sitientes, cf. V. G. III, 137 et IV, 402; apud Columellam hoc epitheton legis etiam v. 376 sitientes antes et v. 41 Canis (i. e. stella) sitiens (cf. V. G. II, 353). — v. 43: satur autumnus (conferre possis V. G. III, 214). — v. 65 viduus orbis, cf. V. G, IV, 518. — v. 68: segnes somnos; certe secundum V. G. III, 42. — v. 71: cunctantia terga (terrae) i. e. solum quod difficile perfoditur, secundum V. G. II, 236. — v. 88: vivacem — herbam, cf. V. G. II, 181. — v. 118: tristes inulae [2]), cf. V. G. I, 75, II, 247; III, 448. — v. 118: ferulaeque minaces, cf. V. G. I, 484; similiter dicit Col. v. 240: spinae minantes. — v. 215: cursus infrenus, fortasse secundum V. G. IV, 136; cursus frenaret aquarum. — v. 222: amica silentia Musis, sine dubio secundum V. Aen. II, 255; (contra tropico usui vocabuli „inimicus" Col. 178: „oculis inimica coramble" nihil simile apud Vergilium invenitur). — v. 284: fontes fugientes; conf. V. G. IV, 19. — v. 340: ventos — furentes, conf. V. Aen. I, 51. — v. 414: (ficus) caunis aemula Chiis; conf. V. Aen. V. 187; 415; X, 371; praeterea quae ad versum Columellae 8 (ager fossus graciles imitatur arenas) pag. 11 adnotavi.[3])

Atque haec sufficiant ad universam epithetorum et omnino

---

1) Pari modo dicit Colum. v. 13 (terra) sponte sua frondosas educat ulmos. Si enim semina in terram iacit agricola, tanquam imperat agro, ut pariat plantas; si igitur in solo, in quod semen non erat iniectum, plantae nascuntur, optimo iure illud solum sponte sua fecundum esse dicitur. Cf. etiam apud Col. v. 373 iam rhamni sponte virescunt: et apud Vergilium G. II. 47 (arbores) sponte sua quae se tollunt: praeterea etiam G. II, 11; 501.

2) „Tristis" hoc loco „saporem acidum atque acerbum" significat, ut adnotat Wernsdorfius; ad confirmandam hanc opinionem affert Hor. Sat. II, 2, 44; Atque acidas mavolt inulas.

3) Est mihi tanti ad rem de qua modo egi accuratius illustrandam, etiam

elocutionis Columellae formam speciemque, quatenus quidem ei impressa sint divini Vergilianae poeseos vultus lineamenta, adumbrandam.

---

Nunc autem quam supra dederam fidem, me in ultima dissertationis meae parte totum carminis Columellae contextum esse prolaturum omnesque eius locos, qui aut certissima exhibeant Vergilii imitationis signa aut tamen speciem quandam prae se ferant huius imitationis, satis dilucide denotare atque cum locis operum Vergilianorum quibus pares similesve sunt comparare velle, quam accuratissime solvere conabor. —

Qua in re pinguioribus, inclinatis, diductis litteris utar ultro ut in oculos incurrat, quae certe, quae probabiliter, quae fortasse ex Vergilii carminibus expressa sint.

---

huius generis epitheta, in quibus adhibendis Colum. liber est ab imitatione Vergilii hic proferre.

v. 18: toxica strenua (alludunt ad vim perimendi, ut explicat Wernsdorfius). — v. 19: gramen vesanum (i. e. improbe crescens atque luxurians. Wernsd.) — v. 39: fruges adoptatae. — v. 84: fessum novale (iniuria Gesnerus „fisso" legit.) — v. 104: semni profugi. — v. 149: herba augens (i. e. plantis nascentibus officiens). — v. 134: Docta Parthenope (apud Vergilium „dulcis Parthenope" legimus, G. IV. 564). — v. 157: adulta semina. — v. 174: male damnati flores. — v. 174: maestus sanguis; conf. etiam Col. 20 et 275. — v. 175: immortales amaranti. — v. 232: cibus indomitus (i. e. immodica ciborum copia ob famem indomitam ingestorum. Wernsdorf.) — v. 250: indomitas alnos. — v. 249—50: improba bryonias. — v. 327: merces adultae. — v. 354: favilla aris innata. v. 372: eruca salax (sic etiam apud Ovidium Rem. Am. 799). — v. 380: cucurbita praegnans. — v. 412: piger foetus (i. e. germen plantae tarde crescens; simile quoddam invenis apud Vergilium G. I, 94: glaebae inertes).

## Caput II.

**Hortorum quoque te** cultus, Silvine, **docebo,**
Atque ea, quae quondam **spatiis exclusus iniquis,**
Cum caneret **laetas segetes,** et *munera Bacchi,*
Et **te, magna Pales,** nec non **caelestia mella,**
Vergilius nobis **post se memoranda reliquit.**
**Principio sedem** numeroso praebeat horto
*Pinguis ager*, **putres glaebas resolutaque** terga
Qui gerit et fossus *graciles imitatur arenas.*
**Atque habilis** natura soli, quae **gramine laeto**

---

v. 1: Initium carminis sui satis manifestum est Columellam conformasse secundum V. G. III, 440: Morborum quoque te caussas et signa docebo. — v. 2: Vocabula „atque ea" versum incipientia etiam in Aeneide ter leguntur (VII, 540; IX, 1; XII, 383). Conf. etiam initium Aeneidos: Ille ego, qui quondam. Verba spatiis exclusus iniquis deprompsit Col. ex V. G. IV, 147; Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis. — v. 3: Verba „laetas segetes" in primo Georgicorum versu leguntur. Munera Bacchi dixit Col. fortasse memor versus Vergilii G. II, 4—5: Huc pater, o Lenaee, tuis hic omnia plena Muneribus. Conf. etiam Col v. 426: Ac metimus laeti tua munera, dulcis Jacche. — v. 4: „Et te, magna Pales" dicit Col. secundum G. III, 1. Te quoque, magna Pales. Verba „caelestia mella" sine dubio mutuatus est ex G. IV, 1: Protinus aerii mellis caelestia dona. — v. 5: Clausulam versus deprompsit ex Ge. IV, 148: Praetereo atque aliis post me memoranda relinquo — v. 6: Initium versus sine dubio deprompsit ex G. IV, 8: Principio sedes apibus statioque petenda. — v. 7: Verba „pignis ager" conf. cum initio versus Ge. I, 64: pingue solum. Exitum versus „putres glaebas resolutaque terga" sine dubio sumpsit Col. ex Ge. I, 44: Liquitur et Zephyro patris se glaeba resolvit. — v. 8: Cum verbis „graciles imitatur arenas" duos Vergilianos locos possis conferre, G. II, 204: Et cui putre solum. — namque hoc imitamur arando, et praecipue Aen. I, 1: Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena. — v. 9: Initium versus certe mutuatus est Col. ex V. G. IV, 418: Atque habilis membris venit vigor, clausulam ex G. II, 525: pinguesque in gramine laeto.

*Parturit* et *rutilas ebuli* creat uvida *bacas.*
Nam neque sicca placet, nec quae stagnata palude
Perpetitur **querulae** semper convicia **ranae**
Tum quae *sponte sua frondosas* educat *ulmos,*
Palmitibusque seris *laetatur* et **aspera silvis**
Achrados aut *pruni lapidosis* obruta pomis.
*Gaudet,* et *iniussi* **consternitur** ubere mali:
Sed *negat* helleboros et noxia galbana suco,
Nec patitur taxos, nec strenua toxica *sudat;*
Quamvis semihominis, vesano gramine feta,
Mandragorae pariat flores maestamque cicutam,

---

v. 10: De tropo, qui inest voci „Parturit" iam egi pag. 11; huic Columellae loco optime possis conferre V. G. II, 330: Parturit almus ager. Verba „rutilas ebuli — bacas" simillima sunt verbis Vergilii Ecl. X, 27: Sanguineis ebuli bacis. — v. 11: Verbis „quae stagnata palude" quodammodo possis conferre exitum versus G. IV, 288: stagnantem flumine Nilum. — v. 12: „Querulae ranae" sine dubio dicit Colum. secundum V. G. I, 378: Et veterem in limo ranae cecinere querelam; conferas etiam G. III, 328: Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae. — v. 13: De vocabulis sponte sua conf. quae pag. 15 adnotavi. Frondosa — ulmo etiam legis Ecl. II. 70. — v. 14: Cum verbis „palmitibusque seris" possis conferre aliquo modo V. G. IV, 144: „seras — ulmos". Tropicum usum verbi laetatur iam tetigi pag. 11; huic loco carminis Columellae bene quadrant versus Vergilii Ecl. IV, 51 et 52: Terrasque tractusque maris caelumque profundum Aspice, venturo laetantur ut omnia saeclo. Exitum versus „et aspera silvis" sine dubio conformavit Col. secundum V. G. I, 152: subit aspera silva, vel G. III, 384 primum aspera silva. — v. 11: Clausulae versus simillimus est versus G. II, 34: et prunis lapidosa rubescere corna. — v. 16: De translatione, quae inest vocabulo „gaudet", egi pag. 11; conf. V. G. II, 181: Palladia gaudent silva vivacis olivae. De verbis „iniussi mali", quibus imitari mihi videtur Col. V. G. I, 55, iam disserui pag. 15. Consternitur — ut recte exponit Wernsdorfius — hoc loco idem est atque oppletur vel integitur; Col. hoc verbo eximiam soli fecunditatem exprimere vult, quo tanta fructuum copia pariatur, ut iis decidentibus terra oppleatur. Nescio autem an hauserit Col. hunc usum vocis „consternere" ex Vergilii carminibus; legimus enim Aen. IV, 444: et altae consternunt terram concusso stipite frondes, et Aen. XII, 543: Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi Oppetere et late terram consternere tergo. — v. 17: Cum usu vocabuli negat apud Columellam conf. G. I, 149: „et victum Dodona negaret" ut Aen. III, 142: et victum seges aegra negabat. — v. 18: Tropicam sententiam vocabuli sudandi iam tetigi p. 12: fortasse hausit eam Col. ex G. II, 118 sudantia ligno Balsama; cf. etiam „quercus sudabunt roscida mella, Ecl. IV, 30; et VIII, 54: Pinguia corticibus sudent electra myricae.

Nec manibus mites ferulas, nec cruribus aequa
Terga rubi **spinisque** ferat **paliuron acutis.**
Vicini quoque sint amnes, quos *incola durus*
Attrahat auxilio semper sitientibus hortis:
Aut fons *illacrimet* putei non sede profunda,
Ne gravis hausturis *tendentibus ilia* vellat,
Talis humus vel parietibus vel sepibus hirtis
Claudatur, ne sit pecori, neu pervia furi.
Neu tibi Daedaleae quaerantur munera dextrae,
Nec Polycletea, nec Phradmonis, aut Ageladae
Arte laboretur: sed truncum forte dolatum
Arboris antiquae numen venerare Ithyphalli
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, praedoni falce minetur.
*Ergo age* nunc cultus et **tempora** quaeque **serendis**
Seminibus, *quae cura* satis, **quo sidere** primum
**Nascantur flores, Paestique rosaria** gemment,

---

v. 21: Cum verbis „nec cruribus aequa“ quodammodo poteris comparare „aeravibus non aequus“ G. III, 546. – v. 22: De vocis „terga“ sententia disserui pag. 13. Exitum versus 22 sine dubio conformavit Col. secundum V. Ecl. V, 39: et spinis surgit paliurus acutis. — v. 23: Incolam durum appellat Col. certe secutus Vergilium in Ge. I, 160 (duri agrestes), vel IV, 512 (durus arator). — v. 24: Cum verbis „sitientibus hortis“ conf. sitiens (arvum) V. G. III, 137; cum sitiunt herbae V. G. IV, 402. — v. 25: „Fons illacrimet“ dixit Col. fortasse secundum V. Ge. I, 480: et maestum illacrimat templis ebur: hoc loco autem „illacrimare“ non tropice usurpatur. Wernsdorfio Columella hic Lucretium videtur imitari, qui dicit (I, 349 —350): In saxis et speluncis permanat aquarum Liquidus humor et uberibus flens omnia guttis. — v. 26: Verbis „tendentibus ilia vellat“ simillimum est initium versus Vergiliani G. III, 507: Ilia singultu tendunt. — v. 29: Hoc in versu „dextra Daedalea“ idem significat atque „ars Daedali“. Apud Vergilium simile nusquam invenies: qui si vocabulo „dextra“ symbolice — ut nos dicimus — utitur, semper ad salutationem, fidem, confirmationem, fortitudinem spectat, nunquam autem similiter atque Columella ad artificium et sollertiam. — v. 35: In initio Col. fortasse exitui versus Vergiliani G. I, 63 (ergo age, terrae Pingue solum — invertant tauri) se accommodavit, in clausula sine dubio imitatur G. I, 253: tempusque serendi. — v. 36: Verbis „quae cura satis“ conf. V. G. I, 3: quae cura boum, et G. IV, 118: pinguis hortos quae cura colendi. — In exitu versus certe imitatur V. G. I, 1: quo sidere terram (cf. pag. 19). — v. 37: Initium versus 37 deprompsit ex Ecl. III, 107: Nascantur flores, et Phyllida solus habeto — rosaria Paesti legis apud Vergilium G. IV, 119. —

Quo **Bacchi genus**, aut *aliena stirpe* gravata
Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos,
Pierides tenui **deducite carmine Musae.**
Oceani *sitiens* cum iam *canis* hauserit undas,
Et *paribus* Titan orbem *libraverit horis,*
Cum satur autumnus quassans sua tempora pomis,
Sordibus et musto *spumantes* exprimet uvas;
*Tum mihi* ferrato *versetur robore* palae
*Dulcis humus*, si iam *pluviis* defossa *madebit.*
At si cruda manet *caelo durata sereno,*
Tum iussi veniant **declivi tramite rivi,**

---

v. 38: Cum initium versus scriberet, sine dubio memor erat Col. principii versus Vergiliani Ge. II, 240: Nec Baccho genus. Clausulae versus aptissime potest conferri exitus in Ge. II, 76 aliena ex arbore germen. De nominibus Musarum „Pierides — Musae" disserni pag. 10. — v. 39: Cum initio huius versus conferre possis V. G. II, 522: Mitis in apricis coquitur. — v. 40: In exitu versus sine dubio imitatus est Col. V. G. III, 11 deducam vertice Musas, et Ecl. VI, 5 deductum dicere carmen. — v. 41: „Canis sitiens" dicit Col. fortasse secundum V. Ge. II, 353: ubi hiulca siti (v. l. victa siti) findit canis aestifer arva. — v. 42: Et paribus Titan orbem libraverit horis i. e. — ut Wernsdorfius explanat — sol aequales dierum et noctium horas fecerit. Atque vocabulum „librare" ipsum simili sensu nusquam quidem a Vergilio invenies usurpatum; tamen memor fuisse Col., cum illum versum scriberet, duorum videtur Vergilianorum versuum, qui — si spectas verba litterasque — haud exiguam similitudinem speciemque gerunt illius versus Columellae. Legis enim apud Vergilium G. I, 208 seqq. Libra die somnique pares ubi fecerit horas. Et medium luci atque umbris iam dividit orbem. — v. 44: Clausulae versus similes locos haud paucos invenies apud Vergilium; cf. Ecl. V, 67: pocula — spumantia lacte quotannis; Ge. IV, 140: spumantia — mella; praeterea G. II, 6, III, 309; Aen. III, 66. — v. 45: In initio versus se accommodasse videtur Col. versui Vergiliano G. I, 45: Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro. Ingemere, — Similiter verbis Columellae „versetur — humus" dicit Vergilius Ge. I, 119: Versando terram experti. — Verbis „robore palae" conferre possis exitum versus Ge. I, 162: grave robur aratri. — v. 46: Verbis „dulcis humus" simillima sunt dulcia arva apud Vergilium Ecl. I, 3: „Humus pluviis defossa madebit" dicit Col. fortasse" secundum V. G. III, 429: Vere madent udo terrae ac pluvialibus austris. — v. 47: In exitu versus imitari mihi videtur Col. V. G. I, 260: caelo properanda sereno, vel Aen. V, 870: caelo et pelago confise sereno. — v. 48: Clausulam huius versus sine dubio deprompsit Col. ex Ge. I, 108. Ecce supercilio clivosi tramitis undam Elicit ?

*Terra bibat fontes* et *hiantia* compleat *ora.*
Quodsi nec *caeli* nec campi competit *humor,*
**Ingeniumque loci,** vel Juppiter abnegat imbrem
Exspectetur hiems, dum Bacchi **Gnosius ardor**
Aequore caeruleo *celetur*, vertice mundi,
Solis et adversos *metuant* Atlantides ortus.
Atque ubi iam tuto necdum confisus Olympo,
Sed trepidus profugit chelas et spicula Phoebus
Dira Nepae tergoque Croti festinat equino,
Nescia plebs generis, matri ne parcite falsae.
Ista Prometheae genitrix fuit altera cretae:
Altera nos enixa parens, *quo tempore* saevus
Tellurem ponto mersit Neptunus, et imum
Concutiens barathrum lethaeas terruit undas.
Tumque semel *Stygium regem* videre trementem
Tartara, cum pelagi streperent *sub pondere Manes.*
Nos fecunda manus viduo mortalibus orbe.

---

v. 49: Tropo, qui inest verbis „Terra bibat fontes", complures similes apud Vergilium locos habeo proferre; cf. Ge. II, 218: et bibit humorem (terra); Ge. IV, 32; inriguumque bibant violaria fontem; cf. etiam Ecl. III, 111. Verbis „hiantia compleat oro" conf. primum clausulam versus Vergiliani G. IV, 483; inhians tria Cerberus ora; deinde eundem tropum in G. III, 432: terraeque ardore dehiscunt. — v. 50: „Caeli mobilis humor" dicit Vergilius Ge. I, 417. — v. 51: „Ingeniumque loci" Col. sine dubio dicit secundum Ge. II, 177; Nunc locus arvorum ingeniis. — v. 52: Verbis „Exspectetur hiemo" simile est initium versus in Ge. I, 226: „Exspectata seges. — In exitu huius versus — ut iam exposui pag. 10 — sine dubio imitatur Col. V. G. I, 222: Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae. — v. 53: Similiter verbis „Gnosius ardor celetur" dicit Vergilius G. I, 221: Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur, qui versus fortasse animo Columellae hic obversabatur, praesertim cum in versu sequente Atlantides commemoret, Vergilius autem v. 222: Gnosiam stellam Coronae, cuius mentionem facit Col. in versu 52. — v. 54: De tropica sententia vocabuli „metuant" iam disserui pag. 11; exposui ibi, Columellam mihi hic videri imitari V. G. I, 246: Arctos Oceani metuentis aequore tingui. — v. 55: Verbis Columellae, „tuto necdum confisus Olympo" quodammodo similia sunt verba Vergilii G. I, 450 „emenso cum iam decedit Olympo. — v. 57: Exitui versus similis est clausula versus Vergiliani G. III, 463: potat equino. — v. 60: Clausulae versus: quo tempore saevus" conf. exitum versus V. G. I, 61; quo temporo primum.. — v. 63: Stygius rex appellatur Pluto etiam apud Vergilium Aen. VI, 252. — v. 64: Exitui versus similis est clausula versus Vergiliani in G. IV, 489: ignoscere Manes. — v. 65: Verbis „fecunda manus" quodammodo possis comparare

Progenerat, nos abruptae tum *montibus altis*
*Deucalioneae cautes* peperere. sed ecce
**Durior aeternusque** vocat **labor: eia age segnes**
Pellite nunc somnos et *curvi* vomere *dentis*
Iam virides lacerate comas, iam *scindite* amictus.
Tu gravibus rastris *cunctantia* perfode *terga,*
Tu penitus marris eradere *viscera matris,*
**Ne dubita** summoque frequentia cespite mista
Ponere, quae *canis* iaceant *urenda pruinis,*
Verberibus gelidis, iraeque *obnoxia Cauri.*
*Alliget ut* saevus Boreas Eurusque resolvat.
*Post ubi* **Riphaeae** torpentia frigora **brumae**
Candidus aprica Zephyrus regelaverit aura,
**Sidereoque polo** cedet Lyra mersa profundo,
Veris et adventum nidis cantarit hirundo,

---

V. Aen. VI, 598: fecundaque poenis Viscera; et Aen. VII, 338: fecundum — pectus. Verbis „viduo — orbe" conf. V. G. IV, 518: arva — viduata. — v. 66: Exitum versus sine dubio similem reddere voluit Col. clausulae versus V. G. III, 535: montisque per altos. — v. 67: Deucalionis mentionem facit Vergilius G. I, 62, ubi dicit: Deucalion — lapides iactavit. — v. 68: In verbis „Durior aeternusque vocat labor" sine dubio imitari studuit Col. principium versus Vergiliani Ge. II, 412: Durus uterque labor. — Exitum versus deprompsit ex G. III, 42; en age segnes. — v. 69: Curvo — dente legis apud Vergilium G. II, 406. — v. 70: „Scindite amictus" dicit Col. fortasse secundum G. I, 50: Ac prius ignotum ferro quam scindimus aequor, vel secundum G. III, 160: Aut aris servare sacros, aut scindere terram. — v. 71: In exitu versus sine dubio imitatur Col. V. G. II, 236: glaebas cunctandis crassaque terga. — v. 72: Verbis „eradere viscera matris" (i. e. terrae) conf. exitum versus Aen. III, 575: avolsaque viscera montis. — v. 73: Ne dubita dicit Col. sine dubio secutus Vergilium vel in Ge. IV, 241—242: At suffire thymo cerasque recidere inanis, Quis dubitet? vel in Aen. III, 316: Ne dubita, nam vera vides. — v. 74: Verbis „canis — urenda pruinis" conf. primum G. I, 230: sementem extende pruinas, deinde G. II, 376: cana concreta pruina. — v. 75: Clausulae conf. exitum versus G. II, 439: non ulli obnoxia curae. — v. 76: Initium videtur sumpsisse Col. ex G. IV, 480: Alligat. et — v. 77: Verbis „Post ubi" etiam Vergilius saepissime versus incipit (cf. G. III, 235; IV, 189; 544; 552). — v. 77: In verbis „Riphaeae — brumae" certe imitatur Col. V. G. IV, 518: Arvaque Rhipaeis nunquam viduata pruinis. Praeterea conf. V. Aen. VI, 205: „brumali frigore". — v. 78: Cum exitu versus quodammodo conferre possis V. G. II, 330: Zephyrique tepentibus austris. — v. 79: Initium „Sidereoque polo" sine dubio petiit Col. ex V. Aen. III, 585: (nec lucidus aethra) Siderea polus. — v. 80: Clausula versus

Rudere tum pingui solido vel stercore aselli
Armentive **fimo saturet** ieiunia terrae
Ipse ferens olitor *diductos pondere qualos*:
*Pabula nec pigeat* fesso praebere novali,
Immundis quaecunque vomit latrina cloacis.
Densaque iam pluviis, durataque summa pruinis
*Aequora* dulcis humi repetat mucrone bidentis
Mox bene cum glebis *vivacem* cespitis *herbam*
*Contundat marrae* vel *frangat dente* ligonis,
Putria maturi solvantur ut **ubera campi,**
Tunc quoque **trita solo splendentia** sarcula sumat,
Augustosque foros adverso limite ducens
**Rursus in obliquum** distinguat tramite parvo.
*Verum ubi* iam puro discrimine pectita tellus,
Deposito squalore *nitens* sua **semina poscit,**
Pangite tunc varios, terrestria sidera, flores,
Candida leucoia, et **flaventia lumina calthae,**

---

„nidis cantarit hirundo" aliqua ex parte similis est exitui versus G. IV, 307: Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo. — v, 82: „Fimo saturet" dicit Col. sine dubio secundum V. G. I, 80: Ne saturare fimo pingui pudeat sola. — v. 83: Exitum versus videtur accommodare voluisse Col. clausulae versus Vergiliani G. II, 241: spisso vimine qualos. — v. 84: Tropico usui vocis „pabula" conf. V. G. I, 86: pabula terrae Pinguia concipiunt. „Nec pigeat" certe dicit Col. secundum V. G. I, 80: Ne saturare fimo pingui pudeat sola. — v. 85: Tropico usurpationi vocis „vomit" aliquo modo possis conferre V. G. II, 462: „mane salutantum totis vomit (scil. domus) aedibus undam. — v. 87: Vocem „aequor" de superficie terrae etiam Vergilius usurpat G. I, 97: proscisso quae suscitat aequore terga. — v. 88: In verbis „vivacem — herbam" videtur imitari V. G. II, 181: vivacis olivae. — v. 89: Verbis „herbam Contundat marrae" conf. primum Ecl. II, 11: herbas contundit olentes, deinde Aen. I, 264: Contundet, moresque. — In exitu versus lego cum Wernsdorfio „frangat dente ligonis": qui aptissime confert huic loco V. G. II, 400: (glaebaque) Aeternum frangenda bidentibus. — v. 90: In clausula satis dilucide imitatur Col. V. G. II, 185; fertilis ubere campus. — v. 91: Verbis „trita solo splendentia sarcula sumat" aptissime comparare potes V. G. I, 46; et sulco attritus splendescere vomer." — v. 93: Initium hausit Col. ex V. G. I, 98: Rursus in obliquum verso perrumpit aratro. — v. 94: Verba „verum ubi" incipiunt versum etiam apud Vergilium in G. I, 417. — v. 95: Verbis „tellus — nitens" conf. V. G. I, 153: nitentia culta; et Aen. VI, 677: campi nitentes. — v. 95; Clausulam versus sine dubio accommodavit Col. exitui versus Vergiliani G. II, 324: genitalia semina poscunt. — v. 97: Ultima verba versus hausit Col. ex V. G. IV, 126: Qua niger humectat flaventia

**Narcissique comas**, et hiantis saeva leonis
Ora feri, calathisque virentia lilia canis,
*Nec non vel* niveos, vel **caeruleos hyacinthos.**
Tum quae *pallet* humi, quae frondens *purpurat* auro
Ponatur *viola* et nimium rosa plena pudoris.
Nunc medica panacem *lacrima sucoque salubri*
Glaucea et profugos *vinctura papavera somnos*
Spargite: quaeque viros acuunt, armantque puellas,
Iam Megaris veniant **genitália semina bulbi.**
Et quae Sicca legit Getulis obruta glebis.
Et quae frugifero seritur vicina Priapo,
Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.
Iam breve chaerophylum et torpenti grata palato
*Intyba*, iam teneris frondens lactucula *fibris*,
Alliaque infractis spicis, **et olentia late**
Ulpica, quaeque fabis habilis fabrilia miscet.
Iam siser, Assyrioque venit quae semine radix
Sectaque praebetur madido sociata lupino,
**Ut Pelusiaci** proritet pocula Zythi.
**Tempore non alio** vili quoque salgama merce,
Capparis, et tristes inulae, ferulaeque minaces
Plantantur: nec non serpentia gramina mentae,

---

culta Galaesus. — v. 98: Narcissique comas dicit Col. sine dubio secundum V. G. IV, 122: nec sera comantem Narcissum. — v. 100: Initium versus fortasse conformavit Col. secundum V. G. III, 72: Nec non et pecori. cf. etiam G. II, 451. Caeruleos hyacinthos dicit Col. imitatus versum Vergilianum G. IV, 183: ferrugineos hyacinthos. — v. 101: Verbis „quae pallet humi — viola“ conf. V. Ecl. II, 47: Pallentes violas. — Clausulae versus conf. V. G. IV, 275: (in foliis) violae sublucet purpura nigrae. — v. 103: Verbis „medica lacrima“ (i. e. suco) conf. V. G. IV, 160: Narcissi lacrimam. Verba „sucoque salubri“ fortasse petiit Col. ex V. Aen. XII, 418: spargitque salubris — sucos. — v. 104: Ultimae parti versus „vinctura papavera somnos“ simillimus est exitus in G. I, 78: perfusa papavera somno. — v. 106: Exitum versus sine dubio deprompsit Col. ex versu Vergiliano, quem iam supra versui 95 Columellae contuli, G. II, 324: Vere tument terrae et genitalia semina poscunt (cf. etiam Col. v. 196: genitalia tempora mundi). — v. 111; Verbis „intyba — teneris frondens — fibris“ conf. G. I, 120: amaris intiba fibris. — v. 112: Exitum versus petiit Col. ex G. IV, 30: Haec circum casiae virides et olentia late Serpylla. v. 116; Initium versus sumpsit Col. ex V. G. I, 228: Nec Pelusiacae curam aspernabere lentis. — v. 117: Principium versus petiisse Col. videtur ex V. G. III, 245: Tempore non alio catu-

Et **bene odorati** flores sparguntur **anethi**
Rutaque *Palladiae bacae* iutura saporem,
Seque lacessenti fletum factura sinapis,
Atque oleris pulli radix, lacrimosaque cepa
Ponitur, et lactio gustum quae condiat herba,
Deletura quidem fronti data signa fugarum,
Vimque suam idcirco profitetur nomine Grais.
Tum quoque conseritur, toto quae *plurima* terrae
Orbe virens pariter plebi, regique superbo
*Frigoribus* caules, et veri cymata mittit:
Quae pariunt veteres cesposo litore Cumae,
Quae Marrucini, quae Signia monte Lepino ,
Pinguis item Capua, et *Caudinis faucibus horti*
Fontibus et Stabiae celebres, et Vesuia rura.
Doctaque Parthenope **Sebeti de roscida lympha,**
Quae dulcis Pompeia palus vicina Salinis
Herculeis, *vitreoque* Siler qui **defluit amni,**
Quae duri praebent cymosa stirpe Sabelli,
Et Turni lacus et pomosi Tiburis arva,
Brutia quae tellus et **mater Aricia** porri.
Haec ubi creditimus resolutae semina terrae,
*Assiduo* gravidam *cultu curaque* fovemus,

---

lorum oblita leaena; cf. etiam G. I, 469: Tempore quamquam illo tellus quoque. — v. 120: Toti versui conf. V. Ecl. II, 48: Narcissum et florem iungit bene olentis anethi. Cf. praeterea G. II, 118: Quid tibi odorato — ligno, et IV, 279: Huius odorato — Baccho. — v. 121: Similiter verbis „Palladiae bacae" dicit Vergilius G. II, 181: Palladia — silva. — v. 127: Usui vocabuli „plurimus" hoc in versu (idem valet hoc loco atque „frequens") aptissime conveniunt duo loci in Vergilii carminibus: G. I, 187; cum se nux plurima silvis Induet in florem; praeterea G. II, 182—183: Indicio est tractu surgens oleaster eodem Plurimus. — v. 129: De vocabulo „frigoribus" (i. e. hieme) iam egi p. 11. — v. 132: Exitum versus fortasse similem reddere voluit Col. clausulae in V. Aen. VI, 273; primisque in faucibus Orci. — v. 134: In exitu versus certe imitatur V. Aen. VII, 734: Telon Sebetide nympha (cf. etiam V. G. III, 337: reficit iam roscida luna. — v. 136: „vitreo amni" dicit Col. fortasse secundum V. Aen. VII, 759: vitrea te Fucinus unda. Clausulam versus sine dubio mutuatus est ex V. G. III, 447: missusque secundo defluit amni. — v. 139: „Mater Aricia porri" dicit Col. certe secundum V. Aen. VII, 762: mater Aricia misit. — v. 140: Verbis „resolutae — terrae" conf. „resolutaque terga v. 7. — v. 141: Verbis „assiduo — cultu" aptissime convenit exitus versus Vergiliani, G. II, 51: cultuque frequenti. — Verba „cura"

Ut redeant nobis cumulato fenore messes.
Et primum *moneo largos inducere fontes*,
Ne sitis *exurat* concepto semine partum.
At cum feta suos nexus adoperta resolvit,
Florida cum soboles materno *pullulat* alvo,
Primitiis *plantae modicos tum praebeat imbres*,
Sedulus irrorans olitor, **ferroque bicorni**
Pectat et angentem sulcis exterminet herbam.
At si *dumosis* positi sunt collibus horti,
*Nec summo nemoris* labuntur vertice rivi,
**Aggere praeposito cumulatis** area glebis
Emineat, sicco ut consuescat *pulvere planta,*
**Nec mutata loco** siccos exhorreat aestus,
Mox ubi nubigenae Phryxi, **nec portitor** Helles,
*Signorum et pecorum* princeps **caput efferet undis,**
*Alma sinum* tellus iam *pandet* adultaque poscens

---

et „cultus“ coniungit etiam Vergilius similiter atque Col. G. I, 3: quae cura boum, qui cultus habendo Sit pecori. — v. 143: Col. praeceptum vocabulo moneo inducit fortasse secundum V. G. II, 259—60: terram multo ante memento Excoquere. Exitum versus fortasse conformavit secundum V. G. I, 106: Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentes. — v. 144: Verbis „sitis exurat“ conf. V. G. I, 107: Et cum exustus ager; et Ecl. VII, 57: Aret ager; vitio moriens sitit aeris herba. — v. 146: Voci „pullulat“ conf. apud Vergilium G. II, 17: Pullulat ab radice aliis densissima silva. — v. 147: Toti versui cf. V. G. IV, 115: Figat humo plantas et amicos inriget imbris. — v. 148: Exitum versus sine dubio deprompsit Col. ex V. G. I, 264: furcasque bicornis. — v. 150: „Dumosis collibus“ dicit Col. fortasse secundum V. Ecl. I, 77: dumosa — de rupe, vel secundum G. II, 180; dumosis arvis. — „Collibus — ponere“ (vitem) dicit etiam Vergilius G. II, 273. — v. 151; Initium versus petiisse mihi videtur Col. ex G. III, 436: Neu dorso nemoris. — v. 152: Principium huius versus sine dubio deprompsit ex V. Aen. VII, 6; Aggere composito tumuli. — v. 153: Exitui versus simillima est clausula versus G. I, 101: pulvere farra. — v. 154: Nec mutata loco sine dubio dicit Col. secundum V. Aen. IX, 220; Nec mea iam mutata loco. — v. 155: Exitum versus accommodare videtur voluisse clausulae versus V. G. IV, 502: nec portitor Orci. — v. 156; Initio simillimum est principium versus V. G. I, 263: Aut pecori signum. — Clausulam sine dubio deprompsit Col. ex V. Aen. I, 127: (Neptunus) caput extulit unda. Cf. etiam V. Aen. VIII, 589 et 591: Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda — Extulit os sacrum caelo. — v. 157: Verbis „alma tellus“ cf. apud Vergilium G. II, 330; almus ager. — Verbis „sinum tellus iam pandet“ cf. V. G. II, 331: „Laxant arva sinus“.

Semina *depositis* cupiet denubere *plantis:*
**Invigilate viri!** tacito nam tempora gressu
Diffugiunt, nulloque sono convertitur annus.
Flagitat ecce suos genitrix mitissima fetus
Et quos enixa est partus, iam quaerit a l e n d o s
Privignasque rogat proles. date nunc sua matri
Pignora, tempus adest: viridi redimite parentem
Progenie, *tu cinge comam,* tu digere crines.
Nunc **apio viridi** crispetur florida tellus,
Nunc capitis porri longo resoluta capillo
Laetetur, mollemque sinum staphylinus *inumbret.*
*Nunc et odoratae* peregrino munere plantae
Sicaniis croceae *descendant montibus* Hyblae,
Nataque iam veniant hilari sampsuca Canopo.
Et lacrimas imitata tuas C i n y r e i a  v i r g o,
Sed melior stactis ponatur Achaica myrrha:
Et male damnati maesto qui sanguine surgunt
Aeacii flores, immortalesque amaranti,
Et quos *mille* parit dives natura *colores,*
Disponat plantis olitor, quos semine sevit.
Nunc veniat quamvis oculis inimica coramble,
*Iamque salutari* properet lactuca sopore
Tristia quae relevat *longi fastidia morbi,*

— v. 158: De sententia, quae inest voci „denubere" hoc loco, egi pag. 12. — Verbis „depositis — plantis" conf. V. G II, 23—24: Hic plantas — Deposuit sulcis. — v. 159: Initium versus mutuatus est Col. ex V. G. I, 313: Quae vigilanda viris? — v. 161 et sqq: De sensu tropico, qui inest verbis „genitrix, partus, fetus, enixa est, privignas proles etc." disserui p. 12. — v. 162: Verbis „quaerit alendos" quodammodo conferre possis V. G. II, 325—327: Aether — et omnis — a l i t — f e t u s; et G. II, 251; (tellus) humida maiores herbas a l i t. — v. 165: Verbis „tu cinge comam" similia sunt verba Vergilii G. II, 368: „tum stringe comas". — v. 166: Initium versus p•ᵃiit Col. ex G. IV, 121: Et virides apio ripae. — v. 168: Exitui versus cf. claṡ sulam versus G. IV, 30: ingens oleaster inumbret. — v. 169: Initium versus sumpsisse videtur Col. ex V. G. II, 118: Quid tibi odorato. — v. 170: Verbis „descendant montibus Hyblae" simillima est clausula versus in V. Aen. IV, 491: descendere montibus ornos. — v. 172: Exitus versuum vocabulum „v i r g o" cum simili quodam epitheto ac „C i n y r e i a" exhibentes apud Vergilium saepisse inveniuntur: cf. Aen. II, 403: Priameia virgo; VII, 479: Cocytia virgo; XI, 483: Tritonia virg·. — v. 176: Huic versui cf. V. Aen. IV, 701: Mille trahens varios adverso sole colores. — v. 179: Initio versus conf. principium versus V. G. II, 462: Mane salutantum — v. 180: Exitum ver-

Altera *crebra viret*; fusco nitet altera crine;
Utraque Caecilii de *nomine dicta* Metelli.
Tertia, quae *spisso,* sed puro vertice pallet,
Haec sua Cappadocae servat cognomina gentis.
Et mea, quam generant Tartesi litore Gades,
Candida vibrato discrimine, candida thyrso est.
Cypros item Paphio quam *pinguis nutrit* in arvo,
Punicea depexa coma, sed lactea crure est.
*Quot facies, totidem* sunt **tempora quamque serendi.**
Caeciliam **primo** deponit **Aquarius anno,**
Cappadocamque premit ferali mense Lupercus.
Tuque tuis, Mavors Tartesida pange Calendis,
Tuque tuis, Paphie, Paphiam depange Calendis,
Dum cupit et cupidae quaerit se iungere matri,
Et mater facili mollissima subiacet arvo.
Ingenera, nunc sunt **genitalia tempora mundi:**
Nunc amor ad coitus properat, nunc *spiritus orbis*
Bacchatur Veneri, stimulisque cupidinis actus
*Ipse suas* adamat *partes,* et fetibus implet.
Nunc pater aequoreus, nunc et **regnator aquarum,**
Ille suam Tethyn, hic pellicit Amphitriten:
Et iam caeruleos partus *enixa marito*

---

sus 180 videtur Col. accommodare voluisse clausulae versus Ecl. IV, 61: Matri longa decem tulerunt fastidia menses. — v. 181: Initio conf. principium versus V. G. III, 500: Crebra ferit. — v. 182: Verbis „de nomine dicta Metelli" similes sunt clausulae versuum V. G. IV, 356: „te crudelem nomine dicit" et Aen. I, 277: suo de nomine dicet. — v. 183: „spisso — vertice" dicit Col. fortasse memor verborum „spisso — vimine" V. G. II, 241. — v. 187; Clausulae versus conf. V. G. II, 425: Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam. — v. 189; Initium petiisse videtur Col. quodammodo ex G. I, 506; (tot bella per orbem) Tam multae scelerum facies. Exitum huius versus sine dubio deprompsit ex G. I, 253: tempusque serendi; cf. etiam Col. v. 35. — v. 190: Huic versui simillimus est versus V. G. III, 304: Iam cadit extremoque inrorat Aquarius anno. Lectionem, quam vindicavi versui 193, profert Wernsdorfius in editione sua. — v. 196: In exitu sine dubio imitatur Col. V. G. II, 324: genitalia semina poscunt; cf. Col. v. 95 et 106. — v. 197: Clausulae versus conf. V. G. IV, 300: nares et spiritus oris. — De voce „bacchatur" disserui pag. 11. — v. 199: Initium versus fort. petiit Col. ex V. Aen. XII, 393: Ipsa suas artes. — v. 200: Clausulam huius versus sine ullo dubio mutuatus est ex V. Aen. VIII, 77: Corniger Hesperidum Fluvius regnator aquarum (i. e. Eridanus). — v. 202: Clausulae versus simillimus est ex-

Utraque nunc reserat, pontumque *natantibus* implet.
Maximus ipse deum posito iam fulmine fallax
*Acrisionaeos* veteres imitatur amores,
Inque sinum matris *violento depluit imbre.*
Nec genetrix nati nunc aspernatur amorem,
Sed patitur nexus flammata cupidine Tellus.
Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus
**Ver agit**: hinc *hominum, pecudum, volucrumque* cupido,
Atque *amor ignescit menti*, saevitque *medullis*,
Dum satiata Venus fecundos compleat artus,
Et generet varias soboles, semperque frequentet
Prole nova mundum, vacuo ne torpeat aevo.
**Sed quid ego** infreno volitare per aethera cursu
Passus equos, audax sublimi tramite raptor?
*Ista canat* maiore deo, quem Delphica laurus
*Impulit, et rerum* caussas et sacra moventem
Orgia naturae *secretaque foedera caeli.*
Exstimulet vatem per Dindyma castra Cybelles
Perque Cithaeronem, Nysaeaque p e r  i u g a  B a c c h i

---

itus versus Vergiliani G. III, 125: dixere maritum. — v. 203: Voci „natantibus" cf. apud Vergilium G. III, 541: genus omne natantum. — v. 205: Initium versus petiit Col. ex Aen. VII, 410: Acrisioneis Danae fundasse colonis. — v. 206: Exitui conf. Col. v. 136 et V. G. III, 447: secundo defluit amni, G. IV, 373: violentior effluit amnis. — De tropo, qui inest versibus 204—207 iam egi pag. 11: conf. praecipue G. II, 325 sqq.: Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether Coniugis in gremium laetae descendit, et omnis Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus. — v. 210: Initium deprompsit Col ex G. II, 338: ver magnus agebat Orbis. — Praeterea cum versibus 210 sqq. etiam conf. V. G. III, 243 et sqq.: Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres In furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem. Vocem „mens" consimiliter atque Col. (v. 211) etiam Vergilius ut sedem libidinis venereae usurpat G. III. 267: Et mentem Venus ipsa dedit. — Cum exitu versus 211 conf. V. G. III, 271: ubi subdita flamma medullis. — v. 215: Initium petiisse videtur Col., ut iam exposui pag. 10, ex Aen. II, 101: Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolvo? — v. 217: Initio huius versus conf. V. Aen. III, 457: Ipsa canat. — v. 218: Verbis „Impulit et rerum caussas" simillimum est principium versus in Aen III, 449: Impulit et teneras. — v. 219: Secretaque foedera caeli dicere videtur Col. secundum V. G. I, 60: Continuo has leges, aeternaque foedera certis Imposuit natura locis. — v. 221: Fortasse in exitu versus imitari voluit Col. clausulam versus Aen. 1, 489: Per iuga Cynthi.

*Per sua Parnassi,* **per amica silentia Musis**
Pierii nemoris, Bacchea voce *frementem*
Delie te Paean, et te euie euie Paean.
Me mea Calliope **cura leviore** vagantem
Iam revocat, parvoque iubet decurrere gyro,
Et secum gracili conectere carmina filo,
Quae *canat inter opus* musa modulante *putator*
Pendulus arbustis, olitor viridantibus hortis.
**Quare age, quod** sequitur, **parvo discrimine sulci**
Spargantur caecis nasturcia dira *colubris,*
Indomito malesana cibo quas educat alvus,
Et satureia thymi *referens* thymbraeque *saporem,*
Et tenero cucumis *fragilique* cucurbita *collo.*
Hispida ponatur cinara, quae dulcis Jaccho
Potanti veniat, nec Phoebo grata canenti
*Haec modo purpureo* surgit **glomerata corymbo,**
Myrtiolo modo crine viret, deflexaque collo
Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc similis calatho, spinisque minantibus *horret,*

v. 222: Cum scriberet „Per sua Parnassi" duorum apud Vergilium locorum poterat memor esse: G. III, 291: Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis, et Ecl. X, 11: Nam neque Parnasi vobis iuga. — Exitum versus sine dubio petiit ex V. Aen. II, 255: per amica silentia lunae. — v. 223: Vocem „frementem" in fine versus positam saepissime invenis apud Vergilium, velut G. I, 12: Tuque o, cui prima frementem. — v. 225: „Cura leviore vagantem" dicit Col. sine dubio secundum V. G. III, 305: Hae quoque non cura nobis leviore tuendae. — v. 228: Huic versui simillimus est versus Vergilii G. I, 293: Interea longum cantu solata laborem. — Vocem „putator" in exitu versus positam etiam apud Vergilium invenis G. II, 28: summumque putator. — v. 230: Initium versus sine dubio mutuatus est ex V. G II, 35: Quare agite o. — (cf. etiam Col. v. 294). — Exitum huius versus certe accommodare voluit clausulae versus Aen. III, 685: viam leti discrimine parvo, vel Aen. IX, 143: leti discrimine parvo — (cf. etiam Col. v. 407: parvo discrimine leti). — Vox „nasturcium" apud Vergilium non legitur. — v. 231: Cum exitu versus conf. V G. II, 320: invisa colubris. — v. 233: Clausulam versus fortasse conformavit Col. secundum V. G. III, 397: Et salis occultum referunt in lacte saporem — v. 234: Verbis „fragilique cucurbita collo conf. V. G. 317: Agricola et fragili iam stringeret hordea culmo; — et V. Aen. IX, 436: lassove papavera collo. — v. 235: Clausulae versus aliquo modo conferre possis Ecl. VII, 61: vitis Jaccho. — v. 237: Initium fortasse conformare voluit Col. secundum V. G. I, 405: Et pro purpureo. — Exitum huius versus sine ullo dubio mutuatus est ex Col. V. G. III, 117: Insultare solo, et gressus glomerare superbos. — v. 240: Voci „horret" conf. apud Vergilium Ge.

Pallida nonnunquam **tortos** imitatur **acanthos.**
Mox ubi *sanguineis* se **floribus induit arbos**
Punica, quae rutilo mitescit **tegmine grani,**
Tempus haris satio, famosaque tunc coriandra
Nascuntur, gracilique melanthia grata cumino,
Et baca asparagi spinosa prosilit herba
Et malache, prono sequitur quae vertice solem:
Quaeque tuas audax imitatur, Nysie, vites,
**Nec metuit sentes:** nam vepribus improba surgens
Achrados, indomitasque bryonias a l l i g a t a l n o s.
Nomine tum Graio, ceu littera proxima primae
Pangitur in cera docti *mucrone magistri*;
Sic et humo pingui ferratae cuspidis ictu
Deprimitur folio viridis, pede candida, beta.
*Quin et odoratis* messis iam floribus instat:
**Iam ver purpureum** iam *versicoloribus anni*
Fetibus alma parens *cingi sua tempora* gaudet.
Iam Phrygiae loti gemmantia lumina promunt,
Et conniventes oculos violaria solvunt,
Oscitat et leo et ingenuo confusa *rubore*
*Virgineas* adaperta *genas* rosa praebet honores
Caelitibus, templisque Sabaeum **miscet odorem.**

---

III, 315: Horrentisque rubos. — v. 241: tortos — acanthos dicit Col. secundum V. G. IV, 123: aut flexi tacuissem vimen acanthi. — v. 242: Vocibus „sanguineis — floribus" similiter dicit Vergilius Ecl. VI, 22: sanguineis — moris; et Ecl. X, 27: sanguineis — bacis. — Exitum versus conformavit Col. secundum V. G. IV, 142: in flore novo pomis se fertilis arbos Induerat. — v. 243: In exitu versus imitatus est V. Ecl. I, 1: patulae sub tegmine fagi (cf. G. IV, 566). — Lectio principii versus 244 plane depravata est. — v. 249: Initio huius versus simillima sunt verba Vergilii G. II, 333: nec metuit surgentes pampinus austros. — v. 250: Exitui versus quodammodo possis conferre Ecl. VI, 63: e r i g i t a l n o s. — v. 252: Clausulam versus sine dubio conformavit Col. secundum V. G. III, 445: pecus omne magistri. — v. 255: Initio versus conf. V. G. II, 118: Quid tibi odorato; et II, 30: Quin et caudicibus sectis. — v. 256: Principium huius versus deprompsit Col. ex V. Ecl. IX, 40: Hic ver purpureum. — v. 256: Exitui versus conf, V. Aen. X, 181: versicoloribus armis. — v. 257: Clausulam huius versus petiisse videtur Col. ex V. G. I, 28: cingens materna tempora myrto. — v. 260—261: Verbis „rubore Virgineas adaperta genas" conf. V. G. I, 430: (luna) si virgineum suffuderit ore ruborem. — v. 262: Exitum versus sine ullo dubio desumpsit Col.

Nunc vos Pegasidum comites Acheloidas oro,
*Maenalidumque choros Dryadum* nymphasque *Napaeas,*
Quae colitis nemus Amphrysi, quae Thessala *Tempe*
Quae iuga Cyllenes et *opaci rura Lycaei*
*Antraque* Castaliis semper *rorantia* guttis
Et *quae* Sicanii *flores legistis* Halesi,
Cum Cereris proles vestris intenta choreis
Aequoris Ennaei vernantia lilia carpsit
Raptaque Lethaei coniux mox *facta tyranni,*
Sideribus tristes umbras et tartara caelo
Praeposuit Ditemque Jovi letumque saluti,
Et nunc inferno potitur Proserpina regno
Vos quoque iam posito luctu **maestoque timore,**
Huc facili gressu *teneras advertite plantas*
Tellurisque comas *sacris aptate canistris,*
**Hic nullae insidiae** nymphis, non ulla rapina,
*Casta Fides* nobis colitur sanctique Penates.
*Omnia plena iocis,* securo plena cachinno,
Plena mero, laetisque vigent convivia pratis.

---

ex V. Ecl. II, 55: Sic positae quoniam suavis miscetis odores. — v. 264: Initio huius versus conf. principium versus Vergiliani G. IV, 460: At chorus aequalis Dryadum. Cum exitu versus conf. V. G. IV, 535: venerare Napaeas. — 265: „Tempe“ in fine versus etiam apud Vergilium bis invenitur (G. II, 469: frigida Tempe, G. IV, 317: Peneia Tempe). — v. 266: Verbis „opaci rura Lycaei“ conf. primum Ge. I, 156: et ruris opaci; deinde Ecl. X. 15, G. III, 2, IV, 539 (his quoque locis vox „Lycaeus“ vel „Lycaei“ clausulam versus efficit. — v. 266: „Antra rorantia“ dicit Col. sine dubio secundum V. Aen. III, 567: „rorantia — astra“. — v. 268: Initium conformasse videtur Col. secundum V. Ecl. III, 92: „Qui legitis flores.“ — v. 271: Exitui versus conf. V. G. IV, 492: immitis rupta tyranni (i. e. Plutonis) Foedera. — v. 274: Verbis „inferno — regno“ similiter Vergilius orcum appellat „infernae domus (Aen. V, 732), infernae sedes (Aen. VIII. 244). — v. 275: Initio conferre possis aliquo modo V. Aen. IV. 63: Vos quoque Pergameae iam fas est. Exitum huius versus sine dubio deprompsit Col. ex V. Aen. I, 202: maestumque timorem. — v. 276: In clausula versus imitari videtur Col. V. Aen. VII, 35: terraeque advertere proras vel G. IV, 117: terraeque festinem advertere proram. — v. 277: Exitui huius versus simillima est clausula versus G. IV, 289: plenis adpone canistris. — v. 278: Initium versus petiit Col. ex V. Aen. VI, 399: Nullae hic insidiae tales. — v. 279: „Casta Fides“ dicit Col. secundum V. Aen. I, 292: „Cana Fides“. — v. 280: Initio versus simillima est clausula versus Vergiliani Ecl. III, 60: Jovis omnia plena.

Nunc ver egelidum, **nunc est mollissimus annus,**
Dum Phoebus tener ac tenera decumbere in **herba**
Suadet, et arguto **fugientes gramine fontes**
Nec rigidos potare iuvat nec sole tepentes.
Jamque Dionaeis redimitur floribus hortus,
Iam rosa mitescit **Sarrano clarior ostro.**
Nec tam nubifugo Borea Latonia Phoebe
Purpures radiat vultu, nec **Sirius ardor**
Sic micat, aut rutilus Pyrois, *aut ore corusco*
Hesperus, Eoo remeat cum Lucifer *ortu*;
Nec tam sidereo fulget Thaumantias arcu:
Quam nitidis hilares collucent fetibus horti.
**Quare age vel iubare exorto,** iam nocte suprema,
Vel cum **Phoebus equos in gurgite** mersat **Hibero,**
*Sicubi odoratas praeterit amaracus umbras,*
Carpite **narcissique comas** sterilisque balausti.
Et tu, ne **Corydonis** opes despernat **Alexis,**
**Formoso Nais puero formosior ipsa**
*Fer calathis violam* et nigro permista ligustro

v. 282: Exitum versus hausit Col. ex V. Ecl. III, 57: nunc formosissimus annus. — v. 284: Clausulam huius versus mutuatus est ex V. G. IV, 19: fugiens per gramina rivus. — v. 286: Cum initio versus aliquo modo conferre possis V. Ecl. IX, 47: Ecce Dionaei. — v. 287: Ultimam partem versus desumpsit Col. ex V. G. II, 506: Sarrano dormiat ostro. — v. 289: Exitum petiit Col. ex V. Aen. X, 273: Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor; cf. praeterea G. IV, 425: torrens sitientes Sirius Indos ardebat caelo. — v. 290: Clausulam conformavit Col. secundum V. G. I, 233: quarum una corusco Semper sole rubens; vel secundum G. IV, 98: elucent aliae et fulgore coruscant. — v. 291: De verbis „Eoo — ortu" iam supra egi (cf. G. I, 432). — v. 293: Exitui versus quodammodo poteris comparare V. Aen. XI, 209: conlucent ignibus agri. — v. 294: „Quare age vel" dicit Col. secundum v. G. II, 35: Quare agite o: conf. v. 230. Verba „iubare exorto" legis etiam apud Vergilium Aen. IV, 130 (cf. p. 10). — v. 295: Toti versui conf. V. Aen. XI, 913—914: iam gurgite Phoebus Hibero Tinguat equos. — v. 296: „Sicubi odoratas" dicit Col. fortasse memor initii versus Vergiliani G. II, 118: Quid tibi odorato. — Exitum versus conformasse videtur Col. secundum V. Aen. I, 693—694: amaracus illum Floribus et dulci adspirans complectitur umbra. — v. 297: Narcissique comas dicit Col., ut iam v. 98, secundum V. G. IV, 122: Nec sera comantem Narcissum. — v. 298: Nomina „Corydon" et „Alexis" deprompsit Col. ex V. Ecl. II, 56: Rusticus es Corydon; nec munera spernat Alexis. — v. 299: Hunc versum et principium sequentis (300) confudit Col. ex duobus Vergilianis locis: Ecl. V, 44: Formosi pecoris custos, formosior ipse et Ecl. II, 45—46: Huc ades, o formose puer: tibi lilia

Balsama cum casia nectens croceosque corymbos
Sparge mero Bacchi: nam Bacchus condit odores.
Et vos agrestes, duro qui **pollice** molles
**Demetitis flores**, cano iam *vimine textum*
Sirpiculum **ferrugineis** cumulate **hyacinthis**.
Iam rosa distendat contorti stamina iunci,
Pressaque flammeola rumpatur *fiscina caltha,*
Mercibus et vernis dives Vortumnus abundet,
Et titubante gradu, multo madefactus Jaccho,
**Aere** sinus gerulus plenos **gravis** urbe **reportet.**
Sed cum *maturis* **flavebit messis aristis.**
Atque diem gemino *Titan extenderit* astro,
*Hauserit et flammis* Lernaei *bracchia* cancri,
Allia cum cepis, *cereale papaver* anetho
Iungite, dumque virent nexos deferte maniplos,
Et celebres Fortis Fortunae *dicite laudes.*
Mercibus exactis, hilaresque recurrite in hortos.
Tum quoque *proscisso* riguesque inspersa novali
Ocima comprimite, et *gravibus densate cylindris,*

---

plenis Ecce ferunt Nymphae calathis; tibi candida Nais, Pallentis violas. — v. 302: Initium versus quodammodo simile est principio versus Ecl. VIII, 82: Sparge molam. — v. 303—304: Pollice molles Demetitis flores dicit Col. secundum V. Aen. XI, 68: Qualem virgineo demessum pollice florem. — Exitum versus 304 petiisse videtur Col. ex V. G. IV, 34: vimine textae. — v. 305: Verba „ferrugineis — hyacinthis" deprompsit Col. ex G. IV, 183 (cf. v. 100). — v. 307: Cum exitu versus cf. V. Ecl. II, 50: vaccinia caltha. — v. 310: Hunc versum conformavit Col. secundum Ecl. I, 36: Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat. (Cum exitu versus cf. etiam G. I, 275: picis urbe reportat. — v. 311: Exitum huius versus petiit Col. ex V. Ecl IV, 28: Molli paulatim flavescet campus arista. Conf. praeterea toti versui G. I, 348: Falcem maturis quisquam supponat aristis. Cum exitu versus cf. V. Aen. IV, 118—119: ubi primos crastinus ortus Extulerit Titan; et G. II, 405: extendit in annum. — v. 313: Verba „Hauserit (i. e. occupaverit, intraverit Wernsd.) et flammis" petiisse videtur Col. ex G. IV, 426: et medium sol igneus orbem Hauserat. — Sententiam, quae hic inest voci „bracchia", etiam apud Vergilium invenimus G. I, 34: iam bracchia contrahit ardens Scorpios. — v. 314—315: Verbis „anetho Iungite" conferre possis aliquo modo Ecl. II, 48: iungit bene olentis anethi. „Cereale papaver" dicit etiam Vergilius G. I, 212. — v. 316: Exitui versus cf. clausulam versus in Ecl. VI, 6: qui dicere laudes. — v. 318: „Proscisso — novali" dicit Col. fortasse secundum V. G. I. 97: proscisso quae suscitat aequore terga; (cf. etiam terram proscinde iuvencis G. II, 237.) — v. 319: Exitui versus cf. V.

*Exurat sata* ne resoluti pulveris **aestus,**
Parvulus aut pulex irrepens dente lacessat,
Neu *formica* rapax *populari* semina possit.
Nec solum teneras audent erodere frondes
Implicitus conchae limax, hirsutaque campe:
Sed cum *iam valido turgescit* lurida caule
Brassica, cumque tument pallentia robora betae,
Mercibus atque olitor gaudet securus adultis,
Et iam **maturis quaerit supponere falcem,**
Saepe *ferus* duros iaculatur *Juppiter* imbres,
Grandine dilapidans **hominumque boumque labores**:
Saepe etiam gravidis irrorat pestifer undis,
Ex quibus infestae Baccho **glaucisque salictis**
Nascuntur volucres, serpitque eruca per hortos;
Quos super ingrediens exurit semina morsu,
Quae capitis viduata coma, spoliataque nudo
Vertice, trunca iacent tristi consumpta veneno.
**Haec ne** ruricolae **paterentur monstra,** salutis
*Ipsa novas artes varia experientia* rerum
Et labor ostendit miseris ususque *magister*
Tradidit agricolis, *ventos* sedare *furentes,*
Et tempestatem Tuscis **avertere sacris.**

---

G. I, 178: ingenti aequanda cylindro. — v. 320: Verbis „Exurat sata ne -- aestus" conf. V. G. I, 107: et cum exustus ager morientibus aestuat herbis (cf. etiam Col. v. 144). — v. 322: Formica — populari — possit dicit Col. fortasse memor verborum Vergilii G. I, 185—86: populatque — acervum Curculio, atque — formica. — v. 325: In initio versus imitari mihi videtur Col. V. Ecl. VII, 48: Torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae. — v. 328: Paene totum versum conformavit Col. secundum V. G. I, 348: Falcem maturis quisquam supponat aristis (cf. etiam Col. v. 311). — v. 329: „Iovem ferum" appellat etiam Vergilius Aen. II, 326: Gloria Teucrorum; ferus omnia Iuppiter Argos. — v. 330: Exitum versus mutuatus est Col. ex G. I, 118: Nec tamen, haec cum sint hominumque boumque labores. — v. 332: Glaucisque salictis" dicit Col. sine dubio secundum V. G. II, 13: Populus et glauca canentia fronde salicta. — v. 337: Totum versum sine dubio conformavit Col. secundum V. Aen. VII, 21: Quae ne monstra pii paterentur. — v. 338: Cum initio versus conf. V. Aen. XII, 393: Ipsa suas artes. Praeterea conf. huic toti versui V. G. I, 133: Ut varias usus (Col. v. 339) meditando extunderet artis; et IV. 316: Unde nova ingressus hominum experientia cepit. — v. 339: In clausula fortasse imitatus est Col. V. Aen. XII, 427: non arte magistra. — v. 340: „Ventos — furentes" dicit Col. fortasse secundum V. Aen. I, 51: furentibus austris. — v. 341: Exitum versus sine dubio conformavit Col.

Hinc **mala Rubigo** virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur et extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris,
Utque Jovis magni prohiberet fulmina Tarchon
Saepe suas sedes praecinxit *vitibus albis,*
Hinc *Amythaonius,* docuit quem plurima *Chiron,*
Nocturnas crucibus volucres **suspendit et altis**
**Culminibus vetuit feralia carmina flere.**
Sed ne dira novas segetes animalia carpant,
*Profuit interdum medicantem semina* pingui
*Palladia* sine fruge salis *conspergere amurca,*
Innatave laris nigra satiare favilla.
**Profuit** et plantis **latices infundere** amaros
Marrubii multoque sedi contingere suco.
At si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniae veniant artes, nudataque plantas
Femina, quae iustis tum demum **operata inventae**
Legibus **obscaeno** manat pudibunda **cruore,**
Sed resoluta sinus *resoluto maesta capillo*

---

secundum V. Ecl. VIII, 66: sanos avertere sacris. — v. 342: „mala — Rubigo“ dicit etiam Verg. G. I, 150—51. — v. 343: Verbis „Sanguine — placatur“ conferre possis initium versus V. Aen. II, 116: Sanguine placastis ventos. — v. 347: In exitu versus fortasse imitatur Col. clausulam versus in V. G. II, 233: vitibus almis. — v. 348: Cum hunc versum scriberet Col., memor erat certe versus Vergiliani G III, 550: Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus. — v. 349—350: In exitu versus fortasse imitatur Col. clausulam versus Aen. V. 489: suspendit ab alto. Verba autem inde ab „altis“ usque ad „flere“ conformavit secundum duos locos Vergilianos: Aen. IV, 462 et 463: Solaque culminibus ferali carmine bubo — longas in fletum ducere voces; et G. I, 402—403: de culmine summo Nequiquam seros exercet noctua cantus. — v. 352: Cum initio versus cf. G. I. 84: incendere profuit agros; III, 459; Profuit incensos: III, 509: Profuit inserto. „Semina — medicare“ dicit etiam Vergilius G. I, 193. — v. 353: Cum verbis „Palladia — amurca“ conf. „Palladia — silva“ G. II, 181: In exitu versus imitari videtur Col. V. G. I, 194: perfundere amurca. — v. 355: Totum versum sine dubio conformavit Col. secundum V. G. III, 509: Profuit inserto latices infundere cornu. — v. 358: Cum exitu versus quodammodo conferre possis V. G. II, 7; nudataque musto. — v. 359: Clausulam versus sine dubio petiit Col. ex V. Aen. III, 136: operata inventus. — v. 360: „Obscaeno — cruore“ dicit Col. sine dubio secundum V. Aen. IV, 455: Fusaque in obscaenum se vertere vina cruorem. — v. 361: In exitu imitari videtur Col. V.

*Ter circum areolas* et sepem ducitur horti.
Quae cum lustravit *gradiens* — *mirabile visu* —
**Non aliter quam decussa pluit abore nimbus**
Vel teretis mali vel tectae *cortice glandis*
Volvitur ad terram distorto corpore campe.
Sic quondam magicis sopitum cantibus anguem
Vellere Phryxeo delapsum vidit Jolcus.
Sed iam prototomos tempus decidere caules
Et Tartesiacos Paphiosque revellere thyrsos
*Atque apio* fasces et secto cingere porro.
Jamque eruca **salax** fecundo provenit horto,
Lubrica iam lapathos, iam rhamni *sponte virescunt,*
Et scylla hirsuta sepes nunc **horrida rusco**
Prodit et asparagi corruda *simillima filo,*
Humidaque andrachne sitientes protegit antes,
Et gravis atriplici consurgit longa faselus,
Tum modo dependens trichilis, modo *more chelydri*
*Sole sub aestivo* gelidas per graminis umbras
**Intortus cucumis** praegnansque cucurbita serpit.
*Una neque est* illis *facies.* nam si tibi cordi

---

Aen. XI, 35: Et maestum Iliades crinem de more solutae. — v. 362; In initio imitatur fortasse V. Ecl. VIII, 74—75: terque hanc altaria circum Effigiem duco. — v. 362: Clausulam versus aliquo modo possis conferre exitui versus G. IV, 207: septum a ducitur aestas. — v. 363: In ultimis verbis versus imitari videtur Col. G. III. 275: gravidae — mirabile dictu. — v. 364: Etiam Vergilius comparationem verbis non aliter quam inducit G. I, 201 et Aen. IV, 669. In exitu versus 364 imitatur Col. sine dubio V. G. IV, 81: Nec de concussa tantum pluit ilice glandis. (cf. etiam G. III, 110: „nimbus" arenae Tollitur.). — v. 365: Clausulam fortasse conformavit Col. secundüm V. G. IV, 160: lentum de cortice gluten. — v. 367: Exitus versus aliquo modo similis est clausulae versus Vergiliani Aen. VII, 346: de crinibus anguem. — v. 371: Verba „atque apio" legis etiam V. Ecl. VI, 68; (cf. etiam G. II, 512: Atque alio). — v. 373; „Sponte virescunt" dicere videtur Col. secundum V. G. I, 55: iniussa virescunt. — v. 374: In exitu versus imitatur Col. sine dubio V. Ecl. VII, 42: Horridior rusco. — v. 375: In exitu huius versus se accommodasse videtur versui Vergiliano G. II, 131: simillima lauro. — v. 378: Clausulam versus fortasse conformavit Col. secundum V. G. III, 415 nidore chelydros. — v. 379: In initio imitari videtur V. G. IV, 28: Pandere ad aestivum solem. Gelidam caelo dimoverat umbram dicit Vergilius Aen. XI, 210. — v. 380: Intortus cucumis dicit Col. sine dubio secundum V. G. IV, 122: tortusque per herbam — cucumis. — v. 381: Cum initio versus cf. V. G. II. 85: Nec pingues unam in faciem nas-

Longior est, gracili capitis quae *vertice pendet*,
E tenui collo semen lege: sive globosi
Corporis atque utero nimium quae *vasta tumescit.*
Ventre leges medio: sobolem dabit illa capacem
**Naryciae picis** aut Actaei mellis Hymetti
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagoenam:
Tum pueros eadem fluviis innare docebit.
Lividus at cucumis gravida qui nascitur alvo,
Hirtus et ut coluber nodoso gramine tectus
Ventre cubat flexo, semper collectus in orbem,
Noxius exacuit morbos aestatis iniquae,
Foetidus hic suco, pingui quoque semine fartus.
At qui sub trichila manantem repit ad undam
Labentemque sequens nimio tenuatur amore,
Candidus, effetae tremebundior ubere porcae,
Mollior iufuso calathis modo lacte gelato,
Dulcis erit riguoque madescit luteus arvo
Et feret auxilium quondam **mortalibus aegris.**
Cum canis Erigones flagrans Hyperionis aestu
**Arboreos** aperit **fetus,** cumulataque moris
Candida sanguineo manat fiscella cruore,
Tunc praecox *bifera* descendit ab arbore ficus,
Armeniisque et cereolis prunisque Damasci
Stipantur calathi et pomis, quae barbara Persis
*Miserat* — *ut fama* est — patriis *armata venenis.*

---

cuntur olivae — v. 382: Cum exitu conf. V. Aen. XI, 577: a vertice pendent. — v. 384: Çum clausulam huius versus scriberet Col., fortasse memor erat exitus versus G. II, 479: qua vi maria alta tumescunt. — v. 385: Similiter verbis Columellae „ventre (cucurbitae) leges medio“ (cf. 384 [cucurbita] utero nimium quae vasta tumescit; v. 389 cucumis gravida qui nascitur alvo; v. 391 [cucumis] Ventre cubat flexo) dicit Vergilius G. IV, 122: Cresceret in ventrem cucumis. (Vocabula uterus et alvus autem Verg. nusquam de plantis usurpat). — v. 386: Initium deprompsit Col. ex V. G. II, 438: Naryciaeque picis locus. — v. 388: De tropo, qui inest voci „docebit“; egi pag. 12. — v. 390: Cum exitu versus aliquo modo poteris conferre V. Aen. II, 471: coluber mala gramina pastus. — v. 399: Exitum versus deprompsit Col. ex V. G. I, 237: Has inter mediamque duae mortalibus aegris. v. 401: Initium versus petiit ex V. G. I, 55: Arborei fetus alibi. — v. 403: „Bifera — ficus“ dicit Col. fortasse secundum V. G. IV, 119: biferique rosaria Paesti. — v. 404: Cerea pruna dicit Vergilius Ecl. II, 53. — v. 406:

At nunc expositi **parvo discrimine leti**
**Ambrosios** praebent **sucos oblita** nocendi.
Quin etiam eiusdem gentis *de nomine dicta*
Exiguo properant mitescere praecoqua malo:
Tempestiva madent, quae maxima Gallia donat;
*Frigoribus pigro* veniunt Asiatia fetu.
At gravis *Arcturi sub sidere* **parturit arbos**
Livia, Chalcidicis et caunis aemula Chiis,
Purpureaeque Chelidoniae pinguesque Mariscae
Et Callistruthis, roseo quae semine ridet,
Albaque, quae *servat* flavae *cognomina* cerae,
Scissa Libysca simul, *picto* quoque Lydia *tergo.*
Quin et Tardipedi sacris iam *rite solutis*
Nube nova seritur, caeli pendentibus undis,
Gongylis, illustri **mittit quam Nursia** campo,
Quaeque Amiterninis defertur bunias arvis.
**Sed iam maturis** nos flagitat anxius **uvis**
Euius, excultosque iubet claudamus ut hortos.
Claudimus, *imperioque tuo paremus* agrestes,

Initium versus desumpsisse videtur Col. ex V. G. IV, 318: Amissis, ut fama; exitum huius versus ex Aen. IX, 773: ferrumque armare veneno. — v. 407: Clausulam versus ad verbum transtulit ex V. Aen. III, 685: viam leti discrimine parvo, vel ex Aen. IX, 143; cf. etiam Col. v. 230. — v. 408: Hoc in versu imitatus est duos Vergilianos locos, primum Aen. XII, 419: spargitque salubris Ambrosiae sucos; deinde G. II, 59: Pomaque degenerant sucos oblita priores (cf. pag. 11). — v. 409: Cum exitu versus cf. V. Aen. I, 277: suo de nomine dicit; et Col. v. 182. — In versu 410 pro „praecoqua" alii scribunt „Persica". — v. 412: Cum initio cf. V. G. IV, 289; frigore pigrae; praeterea ea, quae exposui pag. 11. — v. 413: Verbis „Arcturi subsidere" conf. V. G. I, 204: Arcturi sidera nobis; praeterea G. I, 68. Exitum versus deprompsit Col. ex V. Ecl. III, 56; cf. pag. 11. — v. 414: Initio versus quodammodo sisimile est principium versus Ecl. X, 50: Ibo, et, Chalcidico. — v. 417: „Servat — cognomina" dicit Col. fortasse secundum V. G. II, 240: aut pomis sua nomina servat. — v. 418: In exitu versus imitatur Col. fortasse V. G. IV, 13: picti squalentia terga lacerti. — v. 419: In clausula huius versus videtur imitari V. Aen. VII, 5: exsequiis Aeneas rite solutis. — v. 420: De verbis „nube nova disserui supra. Exitui versus quodammodo possis comparare V. G. I, 214: dum nubila pendent. — v. 421: In clausula certe imitatur Col. V. Aen. VII, 715—716: quos frigida misit Nursia. — v. 423: Hunc versum conformavit Col. secundum V. G. II, 419: Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis. — v. 425: In exitu versus fortasse se accommodavit Col. versui Vergiliano Aen. IV, 577: imperioque iterum paremus ovantes. —

Ac metimus laeti tua munera, dulcis Jacche,
Inter lascivos Satyros, *Panasque biformes*
Bracchia iactantes vetulo marcentia vino.
Et te Maenalium, te Bacchum, *teque Lyaeum,*
Lenaeumque patrem canimus sub tecta vocantes,
Ferveat ut lacus, et *multo completa Falerno*
Exundent pingui *spumantia* dolia musto.
**Hactenus arvorum cultus,** Silvine, docebam,
Siderei vatis *referens praecepta* Maronis,
Qui primus, veteres **ausus recludere fontes,**
**Ascraenum** cecinit **Romana per oppida carmen.**

---

v. 427: „Panasque biformes“ dicit Col. fortasse secundum V. Aen. VI, 25: prolesque biformes. — v. 428: Cum initio versus compares V. Aen. V, 376: alternaque iactat Bracchia. — v. 429: Exitui simillima est clausula versus V. G. II, 229; quaeque Lyaeo. — v. 431: „Multo completo Falerna“ dicit Col. fortasse secundum V. G. II, 96: ideo contende Falernis. — v. 432: Verbis „spumantia dolia musto“ conf. locos Vergilianos, quos supra ad „spumantes — uvas“ (Col. 44) adnotavi. — v. 433: Initium versus desumpsit Col. ex V. G. II, 1: Hactenus arvorum cultus et sidera caeli. — v. 434: „Referens praecepta“ fortasse dicit Col. secundum V. G. I, 175: Possum multa tibi veterum praecepta referre. — Clausulam versus 435 mutuatus est ex V. G. II, 175: Ingredior, sanctos ausus recludere fontes — Ultimum operis sui versum petiit parva cum mutatione ad verbum ex V. G. II, 176: Ascraeumque cano Romana per oppida carmen. —